









Eo; G3





9  
GOTTLOB BOEHM  
MUSE ARCADES  
SARDENSIS  
CARMINA LATINA  
MUSE ARCADES



LIBRARIUS  
H. H. H. H. H.  
CARMINI & LATINA  
H. H. H. H. H.  
H. H. H. H. H.  
H. H. H. H. H.  
H. H. H. H. H.  
H. H. H. H. H.  
H. H. H. H. H.  
H. H. H. H. H.





IO. GOTLOB BOEHMII  
INTER ARCADES  
CRISENI BEROENSIS  
CARMINA LATINA

VEL REPETITA

VEL PRIMVM EDITA

---

ADIECTA SVNT  
AMICORVM AD EVM  
CARMINA

---

LIPSIÆ  
APVD IO. FRID. GLEDITSCHIVM  
CICIDCCCLXXX



IO. GOTTLOB BOTTNER

INTER ARCADES

ACADEMIA

CARMINA LATINA

AVD. IO. FERD. GEDTSCHIVM



AMICORVM AD EVM  
CARMINA

LIPSIÆ

AVD. IO. FERD. GEDTSCHIVM

MDCCCXXX





ACADEMIAE  
ARCADVM  
ROMANAE

S. P. D

IO. GEORGIUS ECCIVS

INTER ARCADES

SILVANTES EVBOICVS

ACADEMIAE

A R C A D V M

R O M A N A E

IO. GEORGIVS REGIVS

INTER ARCADES

STVANTIS REGIVS

Alig.



VI

---

*Dum haec carmina typis excudebantur, moritur, magno dolore nostro, eorum auctior, Vir et doctrinae gloria, et honorum dignitate, Illustris: quem scimus illa Vobis dedicaturum fuisse, qui eum olim, fere primum e Germanis, in Academiae Vestrae splendidissimam societatem recep-  
ratis. Itaque amicis beati viri placuit, ut ego, quem et ille amasset, virtutum ipsius cultorem, et qui idem Academiae Vestrae adscriptus, necessitudine quadam Vobiscum coniunctus essem, libello huic ad Vos, quibus destinatus erat, aliquid praefarer.*

## VI

*Magnum profecto et immortale ingenii, doctrinae, sapientiae, probitatis, grauitatis, elegantiae, plurimarumque virtutum aliarum, exemplum Academia Lipsiensis in Boehmio amisit. Qui quum per aetatem et corporis atque animi vigorem diu adhuc videretur prodesse posse nostrae atque vniuersae reipublicae litterariae, subito ei, et praeter omnium opinionem, ereptus est. Non est hic locus, de vita, studiis, et operibus viri exponere: facturum id speramus Fridericum Volgangum Reizium V. C., quo ille a multis annis familiariter vsus est: sed pauca de ultimis eius commemorare, haud alienum erit.*

*Inuitauerat me quadriduo ante mortem, quum adhuc optime valeret, ut secum in villam suam Golifianam, verum illud Musarum et Gratiarum domicilium, exspatiarer. Hic, ubi tot inscriptiones, quas artificii manu incidendas curauit, largissimam*



*gissimam de rebus maxime feriis cogitandi materiam praebent, ambulabamus, et variis de rebus iucundissime inter nos colloquebamur. Qui putassem, inscriptionem illam, quam etiam tum legebamus,*

LINQVENDA TELLVS ET DOMVS

*in villae possessore, quem spectabam valentem atque hilarem, tam cito euentum habituram esse? Reuersi discessimus uterque domum suam. Postridie solito vigore negotia sua obit, parat se praedicationibus habendis, orditur hora X̄ antemeridiana primam, in qua historiam Saxoniam exponerat, et versabatur tum in seculo Vniuersitatis nostrae Camerariano. Ibi dum narrat, Ioachimum Camerarium, virum summum, inuidia inimicorum eo tandem redactum esse, ut vix tres auditores amplius haberet; dum per occasionem ad nostra tempora digreditur, quibus eadem for-*

## VIII

tuna sit optimi cuiusque; (ipse tamen floruit magna semper auditorum frequentia;) dum queritur, fraude agi etiam inter homines doctos: ecce, repente vir optimus in cathedra conticescit. Primo auditores admirari: deinde, cum animadverterent, apoplexia tactum esse, territi ac trepidi accurrere, alii labantem sustinere, atque ex auditorio in cubiculum deferre; unus etiam, qui erat Illustrissimus Comes, Fridericus Augustus Vicedominus ab Eckstaedt, ad medicum arcessendum volare: ceteri omnes conturbati et pleni moeroris discedere. Veniunt medici: adhibentur omnia remedia: sed vis mali tanta erat, ut id magis etiam cresceret, ut decumbenti usum linguae ceterorumque membrorum intercluderet, ut ei denique triduo post, a. d. III. Kal. Aug. hora vespertina octava, vitae finem



*finem afferret: lugentibus obitum eius non modo uxore, matrona ornatissima, collegis, atque auditoribus, verum etiam tota ciuitate, in qua ille tum ceterarum virtutum, quas dixi, tum vero liberalitatis, hospitalitatis, humanitatis, fidei et candoris, praeclarum specimen fuit. Decessit annum agens aetatis LXIII, sine subole, sed relictis ingenii et doctrinae plurimis operibus, et bibliotheca non contemnenda, qua, se mortuo, bibliothecam Paullinam Academiae Lipsiensis augeri voluit.*

*In votis habebat, id quod tabulae in villa Golifiana pridem suspensae inscribi iussit,*

NEC TURPEM SENECTAM

VIVERE, NEC CITHARA CARENTEM

*Huius eum voti plane compotem fata fecerunt.*

*Quid enim honorificentius Professori, quam*

*docen-*

X.

*docentem mori? Neque citbara senectutem eius  
caruisse, arguent huius libelli ea carmina, quae  
his ultimis annis composuit: quae mihi videntur  
etiam praestare prioribus, licet egregiis illis,  
et bis iam antebac editis.*

Tristia dum queruli deplorant funera versus;  
Dum fluit ex oculo gutta caduca meo:  
Factane sint vere, quae moereo, damna, re-  
quiro,

An nocturna meum ludat imago caput.  
Luderet o vtinam! Lacrimas fudisse iuuaret,  
Si modo, quae nunc est, irrita causa foret.  
Sed nimio verum est, nimio irreparabile  
damnum,

Quod multi, quod ego, quod Philurea  
tulit.

Et tu Crifenium Beroensem Academia felix  
Pastorum Arcadiae perdis, et ic̄ta doles.

Mortuus



Mortuus est vates, cuius sacra carmina viuent,

Qui patria fuerat primus in Historia.

Propositi iustique tenax: coniunctior alter

Quo mihi non vllus, nec mage carus erat.

In quo multarum spectata scientia rerum,

Multus, et a studiis maximus, vsus erat:

Pectora qui Recto Fideique sacrata gerebat,

Pectora non pressa candidiora niue:

Quem nuper vidi studiis et honore vi-  
gentem:

Quem visum poterat credere nemo se-  
nem:

Illius aeterna iam lumina nocte premuntur,

Oraque sub minimo puluere docta iacent.

Si retinere Viros Pietas Doctrinaque possent,

Tardo venissent haec quoque fata pede.

Tu patriam repetis: nos Te lugemus ad-  
entum:

Donec erit nobis vita, dolendus eris.

Te

Te mihi, meque Tibi reddet felicior hora:

Tunc erō colloquii pars, velut ante, Tui.

Vivē, vale aeternum: nos ordine quisque se-  
quemur:

Longior aut breuior vita quid? Vmbra  
fuit.

*Ignoscite, optimi Sodales, quod aurium Vestrarum  
elegantiam non reueritus, hos versiculos adscripsi:  
nam Vos certe meum dolorem probabit, et so-  
latii genus est habere, apud quos dolentis animi  
sensum effundas. Valetē, remque litterarum et  
artium porro strenue augete. Scripsi Lipsiae  
Kal. Sept. MDCCLXXX*



---

CARMINVM LATINORVM  
RECENSIO

---

- I. Friderico V. Daniae et Norueg. Regi de numismatis aurei munere gratias agit.
- II. Ad Sereniss. Princ. Reg. Gustauum, Suec. Regni Hered. ob dono donatum aureum numisma.
- III. In Sereniss. Sax. Principum, Friderici Christiani et Mariae Antoniae, auspiciatum e Bavar. reditum A. R. S. CXCIXCCLXII.
- IV. Ad Sereniss. Principem Ern. Aug. Constantinum, Ducem Sax. Vinarientem, quum bibliothecam et musea Lipsiae inuiferet.
- V. P. M. Reuerendiss. et Celsiss. Princ. Andreae Com. Zaluscii, Episc. Cracov. Duc. Seuer.
- VI. Illustriss. et Reuerendiss. Domino Ios. Andr. Com. Zaluscio, Supr. R. Pol. Referendario, in Societ. LL. AA. Lips. recepto, adplausus.
- VII. Celsissimo Principi, Iosepho Alex. Jablononio, Musagetae, quum illi Io. Dantisci Poemata et Hymnos, a se nuper editos, offerret.
- VIII. De statua equestri Augusti II. Pol. Regis in Foro Nouae Urbis ad Dresdam.
- IX. De

XIV

- IX. De numophylacio Sereniff. Princ. Regii, Friderici Christiani,  
Elect. Sax. Heredis.
- X. Illustriff. et Excellentiff. Domino, Henrico S. R. I. Com.  
a Bruhl, Amic. Regis Prim. De hortulis ac biblio-  
theca, Dresdae Palatio illius contiguus.
- XI. P. M. Illustriff. et Excellentiff. Domini, Ernesti Christo-  
phori S. R. I. Com. a Manteufel, Sacr.
- XII. Memoriae aeternae Excellentiff. Domini, S. R. I. Com.  
a Manteufel. *Nomine alieno.*
- XIII. Genio Benefico Illustriff. et Excellentiff. Domini, Christ.  
S. R. I. C. ab Lofs, Comitis Consistoriani.
- XIV. Pro Illustriff. et Excellentiff. Domino, Christ. S. R. I. C.  
ab Lofs, *Votum.*
- XV. Ad eundem.
- XVI. Ad eundem.
- XVII. Epibaterium ad eundem, ex Splendidiff. Legat. redu-  
cem. *Nomine alieno.*
- XVIII. Ad Illustriff. et Excellentiff. Dominum, Christ. S. R. I.  
C. ab Lofs, *Ode.*
- XIX. In natalem Illustriff. et Excellentiff. Domini, Christ. S. R.  
I. C. ab Lofs, *Hendecasyllabon.*
- XX. Ad Illustriff. et Excellentiff. Dominum, Christ. S. R. I. C.  
ab Lofs, *die ipsius onomastico.*
- XXI. Ad eundem, super acerbissimo Coniugis Incomparabilis  
obitu, *Elegia.*
- XXII. Illustriff. et Excellentiff. Domino, Christ. S. R. I. C. ab  
Lofs, *Maecenati Indulgentiff.*

XXIII.



- XXIII. In diem onomasticum Excellentiss. Domini, Christ. S. R.  
I. C. ab Lofs, Com. Consist. Equit. Ord. S. Andreae.
- XXIV. Ad eundem.
- XXV. Illustriss. Domino Io. Adolpho S. R. I. C. ab Lofs, Ser.  
Elect. Sax. nunc Administr. Primar. natalem XIII.  
gratulatur.
- XXVI. Ad eundem, ex ruficatione aegrotantem.
- XXVII. Ad eundem, quum in Acad. Lipsica litteris operam  
nauaret.
- XXVIII. Eidem natalem XXV. gratulatur.
- XXIX. Ad Illustriss. Dominum, Frider. Aloyf. Iosephum S. R. I.  
Com. a Bruhl, tum Praefect. Varfav., quum in Acad.  
Lips. litteris operam nauaret.
- XXX. Ad Illustriss. Dominum, Aug. S. R. I. C. Mofezinsky, die  
ipfius natali: quum in Acad. Lips., studiorum causa,  
versaretur.
- XXXI. Perillustri et Excellentiss. Domino, Io. Gotth. L. B.  
a Globig, Supr. Sen. Eccles. Praefidi.
- XXXII. Excellentiss. Domini, Io. Gotth. L. B. a Globig, filiolae  
recens natae Feliciter.
- XXXIII. Libri de origine vera Rutae Saxonicae Dedicatio.
- XXXIV. Ad libellum, de Augustino Olomucensi, eiusque pa-  
tera aurea.
- XXXV. Ad Perillustr. Dominum, Guntherum Bunauium, Iudicii  
Imp. Vezlar. Adfess.
- XXXVI. Honori et memoriae Io. Elisab. Hohmaniae L. B. ab  
Hohenthal, Feminae Praestantiss.

XVI

- XXXVII. Eiusdem Elogium, olim in Epicediis publicatum.
- XXXVIII. In eiusdem funere lesus fraternus. *Nomine alieno.*
- XXXIX. Generosiss. Domino, Io. Rud. a Kiewewetter, Potentiss. Pol. Regi, Elect. Sax. a Consil. Aul. et Iust. in villa sua rusticanti.
- XL. Perill. L. B. a Z. quum in Academia Lipsiensi, studiorum causa, versaretur.
- XLI. Piis Manibus Frid. Ottonis Menkenii, Potentiss. Reg. Pol. Elect. Sax. a Consil., Aul. inter Arcadas Polianti Criuntini.
- XLII. Nuptiis Aug. Christ. Marchii, I. V. D. et Senat. Lipf. D. C.
- XLIII. Viro Amplissimo, Io. Ludov. Bianconio, Reg. Conf. Aul. et Archiat.
- XLIV. Flores sparsi in tumulum Mar. Henr. Trilleriae, Praefantiss. Feminae.
- XLV. Votum ad Apollinem, in Dan. Guil. Trilleri, V. C., subito ac grani morbo.
- XLVI. Viro Illustri, Car. Guil. Mullero, Ser. Elect. Sax. a Conf. Bell. Secr. Conf. Lipf.
- XLVII. Viro Illustri, Wolfg. Ge. Welkio, Ser. Elect. Sax. Conf. Aul.
- XLVIII. Eidem natalem LXXV. gratulatur.
- XLIX. Vota pro pacis reditu, in aditione Profess. Hist. nuncupata C I D I D C C L V I I I.
- L. V. S. R. Romano Telleri, Supr. in Theol. honores capeffenti. *Nomine alieno.*
- LI. Ad Virum Consultiss. Io. Vendel. Nihufium: Quum I. V. D. inauguraretur.



- LII. Ad eundem. *Nomine alieno.*
- LIII. In obitum Christiani Nihufii, Mercat. Lipf. Speſtatiſſ.
- LIV. Memoriae Sam. Theod. Quaelmalzii, Medic. Prof. Lipf.  
Primar. Coll. Princ. Mai. Sodal.
- LV. Ad amicum quemdam, moeſtiſſimum viduum, conſolatio.  
*Nomine alieno.*
- LVI. Ad amicum, ſuper obitu Dulciſſimae coniugis.
- LVII. Viro Ampliſſimo, Car. Lud. Viedmarktero, Legat. Sax.  
ad M. Brit. Reg. ab epiſtolis.
- LVIII. Viro Eruditiſſ. Io. Henr. Leichio, Prof. AA. Lipf., quum  
ad eum Petri d' Orville poemata remitteret.
- LIX. In mortem acerbam Io. Henr. Leichii.
- LX. Super obitu Chriſt. Ludov. Scheidii, Icti et Hiſtor. Ce-  
leberr.
- LXI. In Ludov. Viſtoriam Adelg. Goſchediam, Doctiſſimam  
Feminam.
- LXII. Goſchediae, Feminae Praeſtantiſſimae, die ipſius natali.
- LXIII. Viro Ampliſſimo, Io. Friderico Maio, Moral. ac Polit.  
Prof. Lipf. quum ei, die ipſius natali, Horatii Carmina  
dono offerret.
- LXIV. Ad Portam, Schol. Prouinc. prope Numburgum: quum  
illam, in itinere Ieneniſi, praeterueheretur.
- LXV. Amicae domus inauguratio.
- LXVI. In nouam Clementis Ianitii Poematum editionem, a fra-  
tre Io. Ehrenfr. Boehmio, curatam.
- LXVII. Viro Clariſſimo, Ge. Chriſt. Kreyſigio, A. M.

\*\*

LXVIII.

## XVIII

- LXVIII. Ad amicum : quum ei Frid. Ottonis Menkenii Carmina transmitteret.
- LXIX. Ad amicum veterem.
- LXX. Ad eundem amicum.
- LXXI. Ad Poetam amicum responso.
- LXXII. Ad eundem : Vt Hymenaeos, scriptos in priores nuptias nostras, exhiberet.
- LXXIII. De Catullo suo.
- LXXIV. Ad Fontem Luchstadiensem, die natali Io. Aug. Ernesti, Th. D. et Pr. Lipf. Celeberr.
- LXXV. Viro Cl. Io. Georgio Eccio, Philof. P. P. Lipf.
- LXXVI. Fonti Carolino in Bohemia, aquis calidis et salubribus incluto, grati animi causa ob reparatam valetudinem Sacr.
- LXXVII. Epigramma Graecum, Latine redditum.
- LXXVIII. Tria prouerbia Germanica, versu Latino reddita.
- LXXIX. Ad rosam.
- LXXX. In obitum Niniae, venustissimae catellae.
- LXXXI. Musis valedicit.

## AMICORVM CARMINA

- LXXXII. Io. Eliae Schlegelii ad Io. Gotlob Boehmium, Iurispr. in Acad. Lipf. Cult.
- LXXXIII. Ad Boehmium suum Frid. Gothilf Freytag, Schol. Prouinc. Port. R.
- LXXXIV. Fratri vxorem ducenti, Io. Ehrenfr. Boehmii.
- LXXXV.



- LXXXV. Crifenio Beroensi Gerh. Nicol. Heerkens, super noua Clementis Ianitii Poematum editione.
- LXXXVI. Boehmio, Carmina sua iterum publicanti, Christianus Crusius, Eloqu. P. P. Viteb.
- LXXXVII. Io. Gotl. Boehmio, Carminum suorum editionem paranti, Ioseph. Barfortius, P. A.
- LXXXVIII. Boehmio suo D. Gotfr. Mascouius, Iur. N. et G. Prof. P. Lipf.
- LXXXIX. Boehmio Historiographo Saxonico recens renunciato Car. Andr. Belius, Poef. P. O. Lipf.
- XC. Boehmio Car. Henr. Geislerus, Iur. publ. Prof. Marburg.
- XCI. Boehmio Strenae Car. Henr. Geisleri.
- XCII. Boehmio Euseb. Traug. Ebertus, V. D. apud Haynenf. M.
- XCIII. Boehmio C. H. Geislerus.
- XCIV. Boehmio Editionem Actorum Pacis Oliv. gratulatur C. H. Geislerus.
- XCv. Ad Io. Gotl. Boehmium super morte dulcissimae Coniugis Elegia C. H. Geisleri.
- XCvi. Boehmio iterum marito Frider. Volg. Reizius, Phil. P. P. Lipf.
- XCvii. Super Boehmii ac Richteriae nuptiis relatio ex Parnaffo.
- XCviii. Boehmii secundis nuptiis Io. Ge. Eccius, Phil. P. P. Lipf.
- XCix. Boehmio dominium Golifii pie gratulatur Io. Lundblad, Suecus.
- C. Io. Gotl. Boehmio recuperatam lympharum Luchstadiensium

salubritate valetudinem gratulatur Elegia pietatis in-  
terpres.

CI. Boehmio Reizius.

CII. Boehmio, Amico veteri, C. A. Belius, Acad. Lipf. h. t.  
Reß.

CIII. Musae ad Boehmium.

Errata.

P. 6. v. 12. *ceptro* leg. *sceptro*. P. 36. v. 17. *flectuque* leg.  
*fletuque*. P. 45. v. 14. *tanta-viuo* leg. *tanto-viro*. P. 58. et 59.  
*Goth.* leg. *Gorb.* P. 89. v. 5. *quae* leg. *qui*. P. 117. v. 2. *Calliopeia*  
leg. *Calliopea*. P. 139. v. 2. *Candida* leg. *Candidae*.



IO. GOTL. BOEHMII

C A R M I N A

L A T I N A



IO. GOTTL. BOEHMII  
CARMINA  
LATINA

S  
V  
P  
  
M  
C  
L  
  
A  
T  
O  
E





---

FRIDERICO V̄

DANIAE AC NORVEG. REGI

DE

NUMISM. AVR. MVNERE

GRATIAS AGIT

*Inscr. numism.* ALIT ARTES

---

Sunt aliquid Musae: studiis nec Numen honestis,  
Victuraeve decus famae, aut fulgentia desunt  
Praemia, Castaliis merito celebranda Camenis.

En, Fridericus adest; Danici laus maxima sceptri,  
Maximus Arctoi Fridericus et arbiter Orbis,  
Cura Deūm, columenque Pii doctaeque Mineruae:  
Lactus adest studiis, lactus fouet atque ALIT ARTES.

Quamquam animo inuictus, duris nec promptior alter  
Armis bella ciet; mox et terraque marique  
Territat attonitos signis victricibus hostes:  
Olli blanda tamen longae magis otia pacis,  
Et Sophiae Phoebique placent, et Palladis artes.

A 2

Salutē,

Salve, magne Parens Regum, Rex inclite, salve!  
 En, fuluo incipiunt sub te noua secla metallo,  
 Et Pudor et Pietas, Charitum et stipata caterua  
 Pax, atque alma Quies, populos inuisere laetos;  
 En, decus ingeniis, doctis et gloria Musis  
 Prisca redit, liquidumque super caput aethera tollit;  
 Ac iam terrae omnes, et Arabs, et discolor Indus,  
 Euphratesque Tigrisque, vagi et septem ostia Nili,  
 Facta Danûm et tanti discunt decora ardua Regni.

Me quoque, me paruae latitantem ad murmura Plissae,  
 Magnus, io ciues! placido Rex lumine nuper  
 Respexit, largaque manu, (quando omnia complet  
 Muneribus) tenui gratae pro germine Oliuae\*,  
 Obtulit augustum, splendenti ex aere, numisma:  
 In quo caelestis vultus frontisque verendae  
 Ante oculos fulget species, atque, omine fausto,  
 Aurea promittit pulcris secla artibus auro.

Sint alii, Friderice, tuas qui laudibus ornent  
 Virtutes, aut qui Pario de marmore signa  
 Ducant, aut centum condant templa alta columnis.

Aft

\* *Acta Pacis Oliuensis*, e tabu- co, primum ab me edita, Lipsiae,  
 larii Polonico, Suecico, Dani- T. I. An. 1763. T. II. 1766. 4.



Ast ego, cui tantum non concessere Camenae,  
Pectore mirabor tacito tua grandia facta,  
Et sacri venerans oris simulacra tuebor.

Vos etiam, illustres Animae, te, maxime Moltki,  
Et te, Bernsdorfi, per quem mihi gloria tanta,  
Tantus venit honos Musis et Pacis Oliuae,  
Vsq̄ue colam, ac vestrae supplex dabo thura saluti.

AD

SERENIS. PRINC. REG

G V S T A V V M

SVEC. REGNI HERED

OB DONO DONATVM AVREVM

NVMISMA

*Inscr. numism. LAETITIAE CRESCENTI*

Quae noua per Suecas terras septemque Triones,  
 Per populos, et pace bonos, et Marte feroces,  
 Perque vrbes, tutasque domos, et pingua rura,  
 Gaudia se tollunt, immensoque agmine crescunt?  
 Scilicet eximii quantum sese aurea virtus  
 Principis, atque annis rerum prudentia maior,  
 Et probitas studiumque Pii, doctaeque Camenae,  
 Exerit, Augustae decus indelebile Gentis:  
 Tantum crescit amor populorum, et gaudia tantum.

Hic est, qui patrio quondam demissus Olympo,  
 Gustaus, genus heroum, spes summa parentum,  
 Spes patriae, a Superis ceptro promissus auito,  
 Gustaus, sceptro dignus, nec pluribus impar:  
 Consilio celer, et magnis virtutibus aequus:

Quem



Quem stupuit Patrum nuper longissimus ordo  
 Eloquio validum, et comi grauitate disertum:  
 Quem sibi sancta Themis, sibi vindicat vtraque Pallas,  
 Castalidesque Deae, et duris Mars victor in armis.

O Diuûm Soboles! nostri noua gloria seculi!  
 Qualis eris quondam, Patris decora alta sequutus,  
 Et Gustauorum facta, immortalia facta!  
 Optimus Arctoi moderator et arbiter Orbis!  
 En, tibi bella silent, positoque furore Graduius  
 Cedit, et informis scissa Discordia palla.  
 En, tibi Pax vrbes, foecundo et Copia cornu  
 Ditat agros, facilesque secant maris aequora classes.

Felices nimium, tanto sub Principe, ciues,  
 Gaudete, et capiti sacro noua neccite ferta!  
 Ipse equidem, propius quando haud possum ora tueri  
 Illius, Aonia procul inde absconditus umbra,  
 Signa colam, optatos auro simulantia vultus,  
 Non vani aeternum monumentum ac pignus honoris:  
 Et patriis late Gustauui nomen in oris  
 Dicam, et *Laetitiaë Crescenti* carmine plaudam.

CARMINA  
 IN  
 SERENIS. SAX. PRINCIPIS  
 FRIDERICI CHRISTIANI  
 ET  
 MARIAE ANTONIAE  
 AVSPICATVM E BAVAR. REDITVM  
 A. R. S. CIDIOCLXII

---

Ergo ades, o nostrae, Princeps, spes maxima gentis!  
 Ergo ades, o patrii lausque salusque foli!  
 Sospes ades, laetusque tuis, Friderice, Camenis,  
 Laetaque Saxoniae Boia Minerua tuae.  
 Antonia, Aonidum decus et tutela Sororum;  
 Antonia, Arcadii gloria summa chori.  
 Iactatus ventis, tumidis iactatus et vndis,  
 Spem capit vt fausto fidere nauta nouam:  
 Omnis vt exultat, longae post taedia brumae,  
 Pastorum coetus, quum fata laeta virent:  
 Sic nos gaudemus, Princeps, te quippe recepto,  
 Saxonidesque viri, Saxonidesque nurus.  
 Conspicimusque hilares patrio noua sidera caelo,  
 Sidera post atros candidiora dies.

Heu



Heu mihi! quae patriae facies fuit ante relictae!

Quis furor implacidi Martis vbique fuit!

Heu! heu! quam dirae caedes, incendia, praedae!

Quique mali cumulus, tu quoque, Dresda, iaces.

Regia Dresda, iaces: centum templa alta columnis,

Heu! heu! hostili nunc cecidere manu.

Marmoreae cecidere domus, tecta aurea Diuum;

Hoc quoque, quod superest, luctus et horror habet.

Heu mihi! quam tristes Musae per Plissidos oras!

Quantus, Parnassi per iuga, moeror erat!

Non citharas, non fila lyrae mouere poetae:

Tu quoque squallebas, barbite, noster amor.

Non Heliconiades, non carmina Phoebus, amabant:

Nec decus Aoniis, laurea ferta, comis.

Nec choreas duxere leues per iugera Nymphae;

Nec choreas Charites, filuicolaeque Deae.

Salue igitur, nostris dudum exspectate Camenis,

Princeps, Saxoniae praesidiumque tuae!

Sic tecum redeunt miseris bona gaudia terris;

Et redeunt docto tempora fausta choro.

Et properis veniet rerum Pax optima pennis:

Nulla mora est: fuge, Mars! Pax venit, ecce, venit.

## CARMINA

AD

SERENIS. PRINCIPEM

ERN. AVG. CONSTANTINVM

DVCEM SAX. VINARIENSEM

*Quum bibliothecas et musea Lipsiae  
inuiseret.*

---

**P**lissidum musea vides: Musisque videris  
Et decus, et columen quondam. Sic docta Bunai \*  
Cura, et maiorum spondent exempla tuorum,  
Ingenitusque amor Aonidum, et tua plurima virtus.

Ad V. Kal. Octobr. A. R. S. CIOIOCLIV.

\* Illustriss. Comes Henr. Bu- Ducis Administer, eruditae No-  
navius, praecipuus Serenissimi bilitatis Germanicae decus.

---

P.M



P. M.  
 REVERENDIS. ET CELSIS. PRINC  
 ANDREAE. COM. ZALVSCII  
 EPISC. CRACOV. DVC. SEVER

---

Quem Pietas, et sanctus Amor Iustique Bonique,  
 Quem Rex, quem Populus, Patrum et longissimus ordo,  
 Et Zaluscium Domus, alto e sanguine Divum,  
 Andream ereptum tristi sibi funere lugent:  
 Hunc et Pierides, docta cum Pallade, magno  
 Attonitae casu, et passae tot vulnera, plangunt.

Hic est, qui meritis et religionis amore,  
 Doctrinaque potens multa, famam aequat Olympo:  
 Auspicio cuius Musis stant aurea templa\*,  
 Sarmatici decus Imperii, gentisque voluptas.

Parcite, Castalides, lacrimis! Non deficit alter,  
 Iosephus\*\*, virtute pari famaue verendus,  
 Gloria Sarmatiae, nostrae et pars magna Camenae.

\* Bibliotheca Zalusciana, Rei-  
 publ. Polon. ab Illustris. Fratri-  
 bus dicata, ac consecrata.

\*\* Reuerendis, et Illustris. Io-  
 sephus Andr. Com. Zaluscus,  
 Episcopus Kiouiensis.

ILLVSTRIS. ET REVERENDIS  
 DOMINO  
 IOS. ANDR. COM. ZALVSCIO  
 SVPR. R. POL. REFERENDARIO  
 IN SOCIET. LL. AA. LIPS. RECEPTO  
 ADPLAVSVS

---

Quae noua lux, nostris dudum expectata Camenis,  
 Exoritur? Patrio surgit quae gloria Pindo?  
 Ecce, tibi Zalufcus adest, super aethera notus  
 Doctrina, ingenio, scriptis, virtuteque multa:  
 Zalufcus, decus Aonidum, ac tutela Mineruae:  
 Cui citharam Phoebus, dulcem cui Suada loquelam  
 Concessit, plauditque suo Parnassus alumno.

Ecce igitur Zalufcus adest: gaudete, sodales!  
 Agnosco vultumque Viri, frontisque decorem,  
 Et placidos mores, et docto in vertice lauros.

Non ita despicihur: nec tantum carmina Musae  
 Aurea, Teutonicae Musae, bona Numina temnunt:

Et



Et Zalufciaden, magnum ceu pignus amoris,  
Suscipimus, laetique alios meditamus honores.

Sic te oratorum dicat vatumque caterua:  
Musarumque chorus laudes, per Teutonis oras,  
Et Zalufciadae referat facta inclita gentis.

Prid. Kal. April. A. R. S. CICIDCCLVI

CARMINA  
 CELSISSIMO PRINCIPI  
 IOSEPHO ALEX. IABLONOVIO  
 MVSAGETAE

*Quum illi Io. Dantisci Poemata et Hymnos,  
 a se nuper editos, offerret.*

Dantiscus, Latiae decus Camenae,  
 Ingens Sarmaticae decus Camenae,  
 Dantiscus, studii pique cultor,  
 Ad te iam venit, o decus Camenae!  
 O et praesidium et decus Camenae!  
 Ad te iam venit, et cupit foueri  
 Hunc suum gremio tuo libellum,  
 Doctum, candidulum, pium libellum:  
 Ad te iam venit, et cupit foueri  
 Me suum gremio tuo clientem,  
 Me tuum gremio pium clientem:  
 Qui sic Sarmaticas colit Camenas,  
 Vt tu Sarmaticas foues Camenas.

DE



DE  
STATVA EQVESTRI  
AVGVSTI II POL. REGIS  
IN FORO  
NOVAE VRBIS AD DRESDAM

---

Non capit Augusti immensos breue carmen honores:  
Carmina sic sacro marmore nulla legis.

*Aliud.*

ILLVSTRIS. COM. A RVEPP\*

Non memorata vides Augusti, hoc marmore, facta:  
Quae lapis iste filet, publica fama docet.

*Item eius aliud.*

Frons docet heroem: fuerit laus carmine maior.

---

\* Cum illo quondam, in Aca- *Christio*, V. C. maximopere pro-  
demia nostra, ingenium carmine barum. Mihi vero iucundum est,  
experiri placuit. Ac tum inter sic renouare memoriam temporis  
alia hoc, et quod sequitur, epi- illius, quod inter meliores lit-  
gramma composuit, ab ipso *Frid.* teras suauiter transeginus.

CARMINA  
 DE  
 NUMOPHYLACIO  
 SERENIS. PRINC. REGII  
 FRIDERICI CHRISTIANI  
 ELECT. SAX. HEREDIS

---

Editi primum hi versiculi in Commentariolo nostro,  
 de Augustino Olomuensi, eiusque patera aurea,  
 in Numophylacio Princ. Dresdae adseruata.

**P**ieridum loca sacra, quies gratissima Phoebo,  
 Dulcis amor docti delictumque chori.  
 Principis eximii decus, et sua magna voluptas,  
 Dum, vacuus curis, otia blanda colit.  
 Quam iuuat, haec inter, funesti oblivia belli  
 Ducere, et Aonidum mitia castra sequi!  
 Quam iuuat, haec inter, facies et facta virorum  
 Nosse, vetustorum tot monumenta Ducum!  
 Aeraque, cum Latio, Graios simulantia mores,  
 Et quidquid praefens cultius orbis habet!  
 At quamuis, veneranda domus, tot summa recondas:  
 Nil melius domino videris ipsa tuo.

Hunc



Hunc Superi saluum, Boiã cum Pallade, seruent;

Et studiis redeant aurea secla bonis.

Sint alii, quos dirae acies, et funera Regum,

Laureaque, hostili tincta cruore, iuuent.

Te pacis delectet opus, te munera pacis:

Fiat ab innocua fronde corona tibi.

ILLVSTRIS. ET EXCELLENTIS  
 DOMINO  
 HENRICO S. R. I. COM. A BRVHL  
 AMIC. REGIS PRINC

*De hortulis ac bibliotheca, Dresdae Palatio  
 illius contiguus.*

---

Quod prius imperio Diraeque Horrorque tenebant  
 Marsque, immotum, ingens, vrbis munimina, saxum,  
 Nympharum hinc formosa domus se tollit in auras.  
 Immenfos inter sumtus, quae gratia rerum!  
 Cessisti, metuende armis: simul omnia rident.  
 Hinc ver purpureum, pictis hinc terra tapetis,  
 Et Zephyri, et virides ramorum foedera in umbras,  
 Inuitant Dryadumque choros, turbamque Deorum.

Vos quoque, queis studium est digno memorare cothurno  
 Bruhliadum laudes aeternaque nomina, Musae,  
 Lautitias inter tantas, augusta tenetis  
 Testa, locique opibus captae, dominique fauore.

O for-



O fortunatos ciues pacisque profundae  
 Securos, quorum furgunt in moenibus horti!  
 Augustum celebrate omnes: ter soluite dignas  
 Bruiliadum meritis, pleno de pectore, grates:  
 Per quos parta quies populo, et Saturnia regna.

A. C. N. CIÖIOCCXXXIII

---

Animus iam olim erat, qualecumque hoc carmen  
 publicare: atque adeo, elegantius vt prodiret, liman-  
 dum id, ac perpoliendum *Io. Frid. Christio*, V. C. et  
 omnis Musae ornamento, ἀνευμωσ transmitting. Qui  
 pro sua humanitate adfuit precibus nostris, diligentissi-  
 meque versiculos retractavit: sed vt vix mei amplius in-  
 genii opus haberi possent. Eam ego retractationem no-  
 lui Musarum cultoribus inuidere: nam euulgandae illius  
 et simul epistolae, tum ad me scriptae, veniam olim ab  
 Amplissimo Viro impetraui.

---

CARMINA  
 POETAE ANONYMO  
 S. P. D  
 CHRISTIVS

---

*H*onestissimum est, quod postulas, atque ideo nulla in me mora fuit, quin, quod voluisti, fieret. Epigramma quidem tuum concinnum satis ac Latinum, tum praesertim pulcro veroque sententiae tenore probandum, facile carere me arbitro poterat. Tamen, quia inter alia ingenii tui ac doctrinae bona, quanti sit facienda scribendi cura, stilique saepe vertendi ratio, videris perspexisse; nolui deesse officio, dedique operam, ut versus tentarem singulos, eaque ut adnotarem, quae in verbis, in numeris, in sententia, rotundiora aut pleniora expediri posse videbantur. Itaque eam retractatam epigrammatis tui formam in alia tabella scripsi, quae cum hac epistola reddetur tibi. Rationem edere sigillatim eorum, quae, quo consilio, induxi, transtuli, reposui, longum esset futurum scribenti, superuacaneum autem coram idoneis cognitoribus causam dicenti. Te vero etiam in tuo opere rectum videre, reor. Per te ergo pleraque, qualia sint, iudicabis, tuoque arbitrio verissima quaeque optima habebis. Siue totum, hac noua facie, placeat; seu pars  
 inde



inde prioribus interpolandis sumatur; seu meliora omnia  
in haec vestigia succedant: adopta, utere, converte, ut  
lubet. Tuum est istud, quidquid est. Vale! Lipsiae,  
d. xxx Martii, A. C. N. MDCCCXXXV

Quod Pauor imperiis dudum, Pallorque tenebant,  
Ingentesque minae pinnarum, horrentiaque arma,  
Quod Mauors urbis posuit munimina saxum,  
Nympharum nunc pulcra domus, quo numine surgit?  
Tam bene regali venit noua gratia sumtu!  
Tam bene pacato gladii cessistis honori!

Hic ver perpetuum, piclis humus ipsa tapetis  
Se variat, iundis pendent e frondibus umbrae.  
Nil tamen obstitit gratum spirantibus auris:  
Cuncta fauent volucrique Deo, Charitumque choreis.  
Vos quoque, quae citharae neruis, vel voce, paratis  
Bruhliadum laudes victuras dicere, Musae,  
Munditias inter maiores, tecta tenetis,  
Ingenioque loci captae, dominique fauore.

O fortunatos nimium, pacisque profundae  
Securos, quorum haec muris violaria florent!

*Augusti vobis bonitas ea tempora fecit.  
Id memorate pii, nec non et promite dignas  
Bruhiadum meritis, e grato pectore, voces.  
Horum opus est populis Regem praebere benignum,  
Qui belli medios inter consulta furores  
Seruat, et armipotens celebrat Saturnia regna.*

---



P. M

ILLVSTRIS ET EXCELLENTIS  
DOMINI  
ERNESTI CHRISTOPHORI  
S. R. I. COM. A MANTEVFEL  
S A C R

---

**N**il potuere preces; frustra prouoluimur aris:  
Heu! frustra Superis thura precesque damus.  
Heu! rapiunt aurae volucres vota, irrita vota:  
Quae mihi fingebam gaudia, vana ruunt.  
Occubuit Procerumque decus, Phoebique voluptas!  
Occubuit columen, Lipsia docta, tuum!  
Qui Pyliam meruit simili virtute senectam,  
Conditus heu! tumulo, nunc leuis umbra, suo est.  
Heu mihi! Num tantam potuisti admittere culpam,  
Lipsia? Cur poenas sic miseranda luis?  
Heu! tenero quondam qui te dignatus amore est,  
Cur mors hunc Musis abstulit atra tuis?  
Nam iuueni fueras olim dulcissima fedes:  
Et fedes fueras deliciofa seni.

B 4

Tu

Tu dederas auido sacras Permessidos vndas :

Formaruntque artes pectora tanta tuae.

Pectora plena Deo, cunctis habitata Camenis,

Et tibi, pulcer Honos, et tibi, rara Fides.

Hoc erat ingenio decus altae, Cilnius, Urbis,

Dum bene Romuleae consulit ille rei.

Hoc erat ingenio, magni dum Caesaris aulam

Ornat, et Aoniis dum fauet ille choris.

O quoties, quoties, Superis nunc reddite Diuis,

Per te spes patriae laeta salusque fuit!

Quantus eras, tanti tot Principis inter amicos!

Tot Proceres inter gloria quanta tibi!

Tum quoque fortunae posito tibi culmine summo,

Eximium docta nomen ab arte venit.

Tum quoque Castalides fessum te rebus agendis,

Et citharis mulcent carminibusque suis.

Sic bene cum Musis splendenti conuenit aulae:

Sic bene curarum pondera, Phoebæ, leuas.

Esto procul, quisquis cultuque et fronte superbus,

Spernis Apollinei ferta lyrasque chori.

At tibi, sancte Senex, nostrae tutela Camenae,

Omnis in ingenua praeterit arte dies.

Ad



Ad doctasque redis, gratum tibi nomen, Athenas,

Et redeunt Musis tempora laeta tuis.

Maius erat, meritos vltro deponere honores,

Atque intra sortem viuere velle suam.

Hi tibi secessus, haec docta caterua, placebant:

O, placeat magnis docta caterua viris!

Non sumus immemores vestri pia turba fauoris:

Munera magna datis: munera magna damus.

Per nos, vestra legent illustria facta nepotes:

Et noscet vestrum terra remota decus.

Ante alios, diuine Senex, tua nomina dicam;

Et referet dotes pagina nostra tuas.

Dì modo tam digno tibi tempora plura dedissent:

Funus et obrueret serior vrna tuum.

At reuocant aduersa Virum iam Numina, summo

Quamquam sic rutilant sidera multa polo.

Iam sedet aetheriis pars adsociata cateruis,

Et noua, purpureo lumine, stella micat.

Perfruere aeternum, quem nunc miraris, Olympo,

Magna anima, et Diuùm gaudia tanta cape!

At tibi si qua manet caelesti cura tuorum,

Adspice tot lacrimas ad tua busta pias.

Squallentes Musas, moerentemque adspice Pindum:

Deserit ut lauros tristis Apollo suas.

Plectra silent, choreaeque absunt cantusque sonori:

Heu mihi! sic miseris it sine luce dies.

Sola ades, incontos, Elegeia, scissa capillos:

Ingemis et querulo carmina moesta modo.

Nos tumulo dabimus violas, dabimusque cupressos:

Dicemusque omnes; Molliter ossa cubent!



MEMORIAE AETERNAE  
EXCELLENTIS, DOMINI  
S. R. I. COM. A MANTEVFEL

*Nomine alieno.*

---

**D**um tibi Castalidum chorus omnis, et aurea Virtus,  
Et, quas fouisti, Sophiaeque et Apollinis artes  
Iusta parant, nostras ne despice, Diue, cupressos.

Sint alii, celebrande Senex, longo ordine vates,  
Diuini vates, soboles certissima Phoebi,  
Qui nomen laudesque tuas, praeclaraque facta,  
Immensas animi dotes, titulosque superbos,  
Muneraque aeterno super aethera carmine tollant.  
Dicant postgenitis, annosa volumina, fasti,  
Tot praeter curas ac tanta negotia, Musae  
Egregium studium, et magnae virtutis amorem;  
Teque, Camenarum decus immortale, remotis  
Ostendant terris. Ipsae, tua Numina, Musae,  
Ipse etiam insignis plectro tibi Cynthius aureo  
Cantet. Non ea vis, nec tanta potentia nobis.

Me

Me tacitum coluisse tuae tot nomina laudis,  
Dine, iuuat, lacrimisque piis tua spargere busta,  
Perpetuoque tuum nostri feruare fauorem.

Contegat ossa leuis tellus tua, mensque cateruis  
Permixta aetheriis, agitet pia gaudia Diuum.



GENIO BENEFICO  
ILLVSTRIS. ET EXCELLENTIS  
DOMINI  
CHRIST. S. R. I. C. AB LOSS  
COMITIS CONSISTORIANI

PRID. ID. DEC. A. CIDICCCXXXII

---

Candida lux oritur: Genium quae sacra piabunt?

Quae iam grata feret pinguia dona manus?

Eheu! nec niueae soboles mihi candida vaccae;

Nec falit ante meos agna tenella pedes.

Rege sub antiquo non sunt mihi condita Bacchi

Munera; non Hyblae ponere mella licet.

Nec licet aetherias pia spargere thura per auras;

Et vetor hiberno neclere ferta Ioue.

Quid faciam? Tenui Genium celebrare Camena

Sit fatis, et Latiae tangere fila lyrae.

Audiat haec, adfitque fauens placidusque: proterui,

Nec finat, abripiant irrita vota Noti.

Magne

Magne Geni, sic saepe, precor, tua sacra recurrant!

Sic tibi fumabit thuricremusque focus.

Sitque comes tibi, sancte, Salus: ac pone sequantur

Gaudia, puniceis tempora cincta rosis!



PRO  
ILLVSTRIS. ET EXCELLENTIS  
DOMINO  
CHRIST. S. R. I. C. AB LOSS  
VOTVM

---

Iane, tuae niueis auibus venere Kalendae:  
Explicuit magnum sic bene Phoebus iter.  
Ianus ades, dapibus veterique colendus Iaccho:  
Te sibi muneribus femina virque vocant.  
Nos quoque, luce sacra, plenis aduoluumur aris,  
Quae tua bis senae numina, Sancte, piant.  
Et bene Lossiadem! magna ter voce ciemus:  
Et bene Lossiadem! vocis imago refert.  
Cui, licet antiquae sit gentis nobile nomen,  
Maior ab excelsa gloria mente venit.  
Cui tantis par est prudentia rebus agendis:  
Et cui Pierides dulce dedere loqui.  
Adnue propitius: te, per patriaeque salutem,  
Perque ego te vultus obsecro, Iane, tuos.  
Sic furor aufugiat Martis: Pax aurea regnet:  
Claudat et aeratis Pax tua templa seris!

---

AD

## AD EVMDEM

A. D. XVII. KAL. APR. CIOIOCCXXXIII

Iure sollemnis mihi, dulciorque  
 Omnibus ridet bona lux Kalendis,  
 Fronte, Maecenas, tua quae ferendo  
 Numina fulget.

Quid prius poscam Superos salute  
 Illius? nostrae cui cura gentis,  
 Cura neglectae data summa pacis,  
 Atque salutis.

Sis diu felix, patriaeque longum  
 Otium praestes: et amica nostris,  
 Docte Maecenas, duce te, reuertant  
 Tempora Musis!

AD



## A D E V M D E M

PRID. ID. DEC. CIOIOCCXXXIII

**E**cce, igitur natalis adest! Natalis ad aras  
Votui plenas thuris agendus adest.  
Ne mora sit: compone focum; facer ardeat ignis;  
Et viridi e lauro, Pieri, ferta lege.  
Muneribus carmen nec desit: Magna Tonantis  
Dextra fouet tantum, sic foueatque, virum.  
Cernimus, vt placidum, dulci cum coniuge, tempus  
Illius inter agat deliciasque suas:  
Vt nec cura vigil, centum nec pondera rerum,  
Debilitare queant pectora plena Deo.  
Commoda quam patriae bene sunt his fulta lacertis!  
His grauius ferri sic bene posset onus.  
His bene consiliis speramus. Plaudite, ciues,  
Et bona sollempni dicite verba die!  
Saxonici gaudete viri, date ferta patrono,  
Et memori laudes figite corde suas.  
Quis nunc funestos Augusto sospite casus,  
Te duce quis patriae dira pericla timet?

C

Tristis

Tristis Erinny's abest: nostris Mars exfulat aruis:

Exfulet! atque alios barbara tela petant!

Pax Cererem colit, et credit Pax femina fulcis:

Aurea Pax laetae munera vitis alit.

Ecquis Apollineis inter vacat arma puellis?

Pacem amat innocuam, carmina quisquis amat.

Pace lyrae cantusque fonant: chorus vndique vatum

Artibus inuigilat, Calliopea, tuis.

O! tantum liceat nostris te dicere Musis,

Maecenas, aevi gloria prima tui.

Tum genus, ac per te veterum clarissima laudum

Aucta ego cantando nomina, dicar olor.

Sed nostra immensi metuit ratis aequoris vndas:

Arte nec Icaria solis adibo domus.

Ah, modo Dî tantae virtuti tempora donent,

Et longum patriae te supereffe finant!

Viue tuis! saluumque breui te fata reducant!

Pascitur in reditus victima sacra tuos.



EPIBATERIVM  
 A D E V M D E M  
 EX SPLENDIDIS. LEGAT. REDVCEM  
 KAL. IAN. A. C. N. CIOIOCCXXXIII

*Nomine alieno.*

**H**oc erat in votis: Superos hoc vsque precati,  
 Saluus vt in patriam caram fospesque redires,  
 Praefenti tibi nunc gratos largimur honores.

Salue igitur, dilecte Parens! his reddite terris,  
 Et desiderijs, salue, nunc reddite nostris!  
 O, quibus excipiam verbis, quo carmine possim  
 Aduentum celebrare tuum, celebrare tuorum  
 Gaudiaque, et loca cuncta domus resonantia plausu?  
 Quae noua nunc rerum facies? Noua sidera cerno,  
 Et procedentes puro cum lumine soles.  
 Vtque redis, redeunt pretiosum tempora in aurum:  
 Iam metus et tristi fugiunt suspiria fronte;  
 Et sine luce dies, et longa silentia defunt.

Heu mihi! qualis erat quondam fortuna tuorum!  
 Vt queruli inuisum tacita tum tempus in umbra,

Te sine, condidimus, mea nunc folatia sola!  
 Squallidus (horresco referens, tremor occupat artus,)  
 Quaqua regnavit moeror; noctisque profundae  
 Incubuit caligo tuis, Pater optime, tectis.  
 Adspice, vt Icarii nauem maris aequor arantem,  
 Et viduam rectore suo, timidamque procellae,  
 Aeolii fratres, elapsi carceris antro,  
 Cognataque acie inter se pugnare parati,  
 Immenſae, fremitu vasto, formidinis implent;  
 Mox scopulo illidunt, iam iamque reſoluere tentant.  
 Sic fuimus tua turba, Pater, te nempe carentes,  
 Qui, procul hinc magni Regis ſacra iuſſa ſequutus,  
 Haud ita reſpiceres nos noſtraque, totus in illis.

Tu quoque, ſancta Parens, gentis ſpes altera noſtrae,  
 Inſormi luctu, atque atris circumdata curis,  
 Queſta Deos, atque aſtra vocans crudelia, comtas  
 Sciffa comas, fluctuque ſinus, penetrale repleſti  
 Inſando gemitu, dulci diſiuncta marito.

Eſt aliquid, fateor, fidos nunc inter amicos,  
 Nunc alacri ſtudio, nunc ſpe, contundere curas:  
 Vt pia Penelope, penſis tenuique Mineruae,  
 Annofas, operata, moras ſolatur Vlyſſei.

Haec



Haec illam medicina iuuet: sed te nihil ista  
Iuuit: nocte dieque graui confecta dolore,  
Absentem loqueris coniux moestissima amorem:  
Absentem per inane domus gemebunda requiris;  
Et monumenta videns, patrios similitantia vultus,  
Adstas, atque haeres oculis, languesque videndo,  
Languendoque peris, et sic tandem ore profaris:  
Quando ego te aspiciam, coniux? quandoque licebit  
Nunc collo pendere tuo, pendere lacertis,  
Alloquiisque frui blandis, interque loquendum,  
Oscula nunc oculis, nunc oscula figere labris?  
O, quam me cupidus amplexibus ille fouebit!  
Quae mihi narrabit! nos quae narrabimus illi!  
Votium saluae repetita voce cientes.

Vota valent. En, sospes adest; atque ora tueri  
Blanda Patris, facilemque datur contingere dextram.  
Ut, canae quum vere nouo fugere pruinae,  
Nec gelidis furiunt immites imbribus Austri,  
Et laetae segetes vernant, et surgit vbique  
Aureus in pratis decor, et sua lumina siluis  
Redduntur, Dryadesque ac rustica turba choreas  
Per campos ducunt, in tonsaque culmina montis,  
Festiuoque omnes feriunt vastum aethera cantu:

Omnia sic rident; sic te, dilecte, reuerso  
Nos, tua progenies, cuncti exultamus ouantes.

Salue iterum, dilecte Parens, decus omne tuorum,  
O et deliciae, et rerum tutela mearum!  
Salue iterum, Genitor, patriis nouus hospes in oris!  
Indulge nitidis Laribus: tibi Numina fortem  
Dent animum, dignosque tuis virtutibus annos!

Sic dabimus laeti festis tibi grata Kalendis  
Munera, dicemusque sacro pia carmina plectro.



A D  
ILLVSTRIS. ET EXCELLENTIS  
D O M I N V M  
C H R I S T. S. R. I. C. A B L O S S  
O D E

---

Siderum rector, decus omne caeli,  
Phoebe, procedas, nitidoque curru  
Impiger sacram sine nube lucem,  
Auree, promas.

En, odorato focus igne splendet:  
Stant Lares, vincti variis capillos  
Floribus: gestit domus, atque festo  
Carmine gaudet.

Iam meae, si quid loquor audiendum,  
Concinunt mistis fidibus Camenae:  
Sacra lux, salve! Decus o tuorum,  
Ter mihi salve!

Pone curarum nimium seuera:  
Iamque, Maecenas, fuge cogitare,  
Francici quid nunc minitentur irae  
Martis, et arma:  
C 4 Quid

Quid potens belli studiis Iberus  
 Audeat: quae nunc freta bellicosae  
 Territent classes: quibus aut vagetur  
 Hunnus in oris.

Excidat dextris furor, atque ferrum,  
 Quae piae pridem melius coissent:  
 Otio miles placido fruatur,  
 Abditus vrbe!

Audiant Diui, prece quae rogamus:  
 Prosperent curas super heu! ruentis  
 Imperi rebus, miserisque fata  
 Dent bona terris!

Cum tuis longum valeas in aeuum,  
 Care Maecenas, decus et tuarum  
 Lucidum laudum teneat paterni  
 Nominis heres!



L A T I N A 4<sup>E</sup>  
I N N A T A L E M  
I L L V S T R I S . E T E X C E L L E N T I S  
D O M I N I  
C H R I S T . S . R . I . C . A B L O S S  
H E N D E C A S Y L L A B O N

---

O lux candidula, et voluptuosa!  
O et deliciae, meique amores,  
Et desiderium, meumque votum,  
Natalis, decus omnium dierum!

At quis te reducem modis colemus,  
Formosissima lux, dies beata?  
Sacram numeros tibi trecentos,  
Dein mille alios, dein trecentos,  
Omnes dulciloquos, venustulosque.

Adeste, Hendecasyllabi, quot estis,  
Omnes dulciloqui, venustulique!  
Adeste, Aonides, quot estis omnes!  
Dicamus dominum decusque nostrum!  
Dicamus domini optimos Decembres!

At, o verficulique, Virginesque,  
Quae vos nunc loca, quae tenent tenebrae?  
Vos in montibus abditisque in vmbriis,  
Vos quaesiuimus in sacrisque lucis.  
Quae vos nunc loca, quae tenent tenebrae?  
O factum male! o malae tenebrae!  
O durum genus! inuidae Camenae!

At vobis bene fit, boni Decembres!  
Natalis, tibi! quippe cui clientes  
Debemus dominum decusque nostrum.  
Di te, cum domino, boni fecudent,  
O lux candidula, et voluptuosa!

---



AD  
ILLVSTRIS. ET EXCELLENTIS  
DOMINVM  
CHRIST. S. R. I. C. AB LOSS  
DIE IPSIVS ONOMASTICO

---

**E**t merito luci sacrae meditabar honores,  
Sertaque carpebam, vastum et tibi pendere carmen,  
Romanum carmen, partae praeconia laudis,  
Tentabam. Renuunt nostrae, tua turba, Camenae,  
Attonitae tantis rebus, quas Numine dextro  
Et patriae tractas et toti commodus orbi:  
Abiiciuntque tubas, et pleetra tacentia ponunt.

Tantum thura bonis, te propter, Maxime, Diuis  
Grata ferunt: caeloque pii sparguntur odores.

O, qui Saxonidum es decus indelebile, Lossi,  
Cui Rex, cui populus votis ardentibus vni,  
Tot proceres inter, multa virtute verendos,  
Consiliisque bonos omnes, post tristia bella,

Foederis

Foederis atque altae commisit pondera pacis,  
 Usque vale, et miseris recreent longa otia terras!

Vota cadunt: Pacem video, Pacisque ministras,  
 Late per populos albis incedere bigis,  
 Et Cererem ditare agros, atque ordine longo,  
 Cum Nymphis Satyros, per pingua rura, choreas  
 Ducere. Bella silent: antro Mars clauditur aereo,  
 Atque sedens super arma fremit, dirasque catenas  
 Mandit, et indocilis flecti, in sua viscera saeuit.

Tu quoque, permixtus, Diuûm fate sanguine, turbas,  
 Ingredieris, veste in niuea, spectabilis vnus  
 Insigni forma, dextramque ornatus oliuae  
 Germine. Praepetibus longe te Gloria pennis  
 Anteuolat; nomenque tuum praeclaraque facta  
 Omnibus ostendit terris, et ad aethera tollit.  
 O qui concentus laudum! quae nomina famae!  
 Te cuncti adspiciunt, atque in te lumina figunt,  
 Mirati augustae laudis decora alta, poetae:  
 Quos simul ipse sequor, non vltimus inter ouantes.

---

 AD



AD EVMDEM  
SVPER ACERBISSIMO  
CONIVGIS INCOMPARABILIS  
OBITV  
ELEGIA

---

**E**rgo, quae toties tecum laetata Camena est,  
Heu! tecum in lacrimas tota soluta ruit.  
Infandumque domus viduae miserata dolorem,  
Moesitiae nullum nouit habere modum.  
Fac, mihi tergemino rigeant praecordia ferro:  
Fac, mihi stet medio pectore dura flex.  
Non tamen immotus tristissima funera cernam:  
Decidet ex oculis largior vnda meis.  
Et trepidae pectus tudent mala verbera palmae:  
Et querula attonitam voce replebo domum.  
Heu! heu! sic miserum tua me quoque vulnera perdunt:  
Et mala, quae tua sunt, sunt mala nostra simul.  
O, tibi cognato quae iam Dea reddita caelo es!  
O, tanta aeternum femina digna vivo!  
Te queror ereptam: nostri tu caussa doloris,  
Seu sol extollit, seu caput abdit aquis.

Dede-

Dedecorent alios vulgari in funere luctus,

Et cum dissecis vox gemebunda genis.

Tu decus omne tuis: postquam te fata tulerunt,

Heu mihi! nos lacrimae moestaque verba decent.

Et iuuat excelsae praeconia dicere mentis:

Et iuuat Ambrosio spargere odore rogam.

Ah, modo sint validae nobis in carmina vires!

Ah, modo sit tantis laudibus apta chelys!

Vos, o Castalides, citharaeque inuentor, adeste!

Vestrum opus, has dignis concinuisse modis.

Dicite, nostis enim, diuinae frontis honores,

Quos velit esse Venus, quosque Minerua, suos.

Illius augustae decus altum dicite formae:

Heu! decus, implacidae praeda relicta neci.

Sunt aliquid roseaeque genae, flauique capilli,

Brachiaque, intacta candidiora niue.

Illa mouent homines; arsit quoque Iupiter illis;

Et durum Alcidem frangere forma valet.

At tibi, Diua, animae caelestia munera magnae,

Et pudor, et pietas, gloria maior erant.

Sit proba Penelope, caro diuisa marito;

Fallat et arte moras, fallat et arte procos.

Vincis



Vincis Penelopen: vincis, quas protulit aetas  
Aurea, nuptarum non malefida choros.  
O, vtinam sacros tangant mortalia manes,  
Et tibi confortis nunc quoque daret amor!  
Si licet, Elyfios inter collesque nemusque,  
Respice follicitum post tua fata torum.  
Et facilis succurre viro, succurre relicto,  
Heu! tua qui tristi colligit ossa sinu.  
Fleuit vt Eurydicen quondam Rhodopeus Orpheus,  
Non exorarent quum sua pleetra Deos:  
Sic Superos atque astra vocat crudelia coniux:  
Sic tua sunt lacrimis humida busta piis.  
At tibi parta quies: te nunc, felicior vmbra,  
Gaudia sublatam non peritura manent.  
Sit super ossa leuis tellus! tumulumque coronent  
Candida puniceis lilia mixta rosis!

---

CARMINA  
ILLVSTRIS. ET EXCELLENTIS  
DOMINO  
CHRIST. S. R. I. C. AB LOSS  
MAECENATI INDVLGENTIS

---

O qui Saxonidum es decus virorum,  
Doctæ delictum ftatorque Musæ,  
Nostrum cui prius offeram libellum,  
Lossi, quam tibi? qui frui Camenis,  
Frui carminibus mihi dedisti,  
Rogatusque dabis, nec immerenti.

Sic longum valeasque, gaudeasque!  
Sic Diui faeant tibi iugales,  
Vt quondam tibi plurimum faebant!

---

AD



## LATINA

49

IN  
DIEM ONOMASTICVM  
EXCELLENTIS. DOMINI  
CHRIST. S. R. I. C. AB LOSS  
COM. CONSIST. EQVIT. ORD  
S. ANDREAE

---

Candida lux, nostris toties cantata Camenis,  
Ter patriae salve, Pieridumque choro!  
Lossades, columen gentis, viuitque valetque,  
Atque ex hoc numerat tempora plura die.  
Sic veniat, Venerande, tibi iucunda senectus:  
Sit tibi mens eadem; sit tibi laeta domus!  
Vtque refert patrios soboles pulcerrima vultus:  
Sic patriae accendat pectora laudis amor!

---

D

AD

---

**H**os numeros, atque haec festa tibi luce patrono  
Pastor, ab Arcadia, florea ferta fero.  
Hae mihi diuitiae, nostrae haec sunt munera Musae:  
Dat mihi non alias pauper agellus opes.  
Ast nobis si fundus erit spatiosior olim;  
Si mihi culta domus; si mihi laeta seges:  
Otia si nostris contingent grata Camenis,  
Atque aderit turbae dexter Apollo suae:  
Tunc ego Loffiaden, sancti decus omne Senatus,  
Per nemora et montes, cunctaque rura canam.  
Tunc ego, Loffiade saluo, maiora quotannis  
Numinibus soluam debita vota bonis.  
At tibi tranquillae succedant tempora vitae!  
Et patriae valeas, propitiusque mihi!

---



ILLVSTRIS. DOMINO  
IO. ADOLPHO S. R. I. C. AB LOSS  
SER. ELECT. SAX. NVNC ADMINISTR. PRIMAR  
NATALEM XIII GRATVLATVR

---

Sollemni tibi quid die precemur,  
Lossi, deliciae meae, et voluptas?  
Nil deest tibi. Namque Dî dedere  
Praeclarum genus indolemque rectam,  
Et frontis Veneresque Gratiisque.

O qui flosculus es iuuentiorum,  
Diuûm disce frui benignitate!  
Hoc voti caput: hoc tibi precamur,  
Lossi, deliciae meae et voluptas.

---

Quid iuuat infomni noctem traducere cura?  
Pone metum, dilecte puer, spes summa parentum!

Ipsa Salus, nostras cui nunc incendimus aras  
Te propter, valles habitat nemorosaque rura,  
Et, quas Nympharum sedes lustrauimus, hortos.  
Morborum procul omne genus: non pallida febris,  
Non macies languorque adiunt, dirive labores.

Vos quoque laudarim, segetes, siluaeque recessus,  
Et te, Moene: tuis nam quid formosius vndis?

Phoebe, nec hinc aberas: o, qui citharaeque lyraeque,  
Herbarumque potens, istis in montibus erras,  
Huc ades, et serua iuuenem! Nam posse mederi  
Te templis suspenfa tuis tot vota loquuntur.

Francof. ad Moen. ID. IVN. CIOIOCCXXXIV



## AD EVMDEM

*Quum in Acad. Lipsica litteris operam nauaret.*

---

**F**rustra Camenis et sapientiae,  
Dilecte Lossi, nunc operam damus:  
Frustra inter aequales decorum  
Fronde sacra caput efferemus:

Diuina virtus ni bene mutuis  
Cultusque veri certet amoribus:  
Ni mentis insanos tumultus  
Herculeis domitemus armis.

**H**ac arte, Diuùm regna mereberis;  
Vitamque duces, ceu dominus tui,  
Feliciorum, quam potenti  
Si geminus tibi sublit orbis:

**Q**uam si profundi diuitias maris  
Centum recondas clauibus. Ah miser!  
Cui nulla virtus, nec Camena  
Vlla colit rude pectus arte.

**E**rgo auspicati propositi tenax,  
Lossi, secundo perge viam pede:  
Phoebique Virtutisque cultor,  
Disce patrem patriasque laudes.

---

---

**E**cce, salutatum fesso te tempore, Loffi,  
Laeta Camena venit.  
Si qua manet veteris tibi nunc quoque cura sodalis,  
(Permaneaturque, precor,)  
Admittes humilem facilis, nec munera temnes,  
Quae tibi parua damus.  
At quondam maiore decus te pectine nostrum  
Carminibusque canam.  
Te quoque, Natalis, dicam. Sic blandior olim,  
Et sine nube, redi!

---



AD  
ILLVSTRIS. DOMINVM  
FRIDER. ALOYS. IOSEPHVM  
S. R. I. COM. A BRVHL  
TVM PRAEFECT. VARSAV

*Quum in Acad. Lipf. litteris operam  
navaret.*

---

**B**ruhliadum fanguis, nostrae noua gloria Musae,  
O et praesidium quondam! Namque horrida Martis  
Quamuis castra petas, lituosque et tela, triumphos  
Inter Sarmaticos, teneris mediteris ab annis:  
Non tamen imbellem durus, mea Numina, turbam,  
Castalidas vatumque choros, doctamque Mineruam,  
Despicias, longa et spretam sub nocte relinques.  
Fallimur? an talem magni te exempla parentis  
Promittunt nobis, atque augur spondet Apollo?

Ergo age, dilectae crescas in vota Camenae!  
Tempus erit, quo te titulis et honoribus auctum,  
At patria virtute magis, virtuteque matris,  
Spectandum, toto dicent Helicone poetae;  
Quo tibi Pierides plaudent, tibi fertaque necent.

D 4

Ipse

Ipse adero, immixtus turbae, fidibusque Latinis  
Bruhiadum decus adgrediar nomenque referre,  
Aureaque aeterno scribenda in marmore facta.

Interea Iani festis, de more, Kalendis,  
Vota tibi, et tenues ferimus munuscula versus.



AD  
ILLVSTRIS. DOMINVM  
AVG. S. R. I. C. MOSCZINSKY  
DIE IPSIVS NATALI

*Quum in Acad. Lips. studiorum causa  
versaretur.*

---

**E**rgo age, natalis faustos celebremus honores  
Carminibus verbisque bonis; nec munera Bacchi,  
Annosi Bacchi, cyathis spumantibus absint:  
His Moscynsciadae fit fas libare saluti.

Sis felix, soboles Diuūm, longosque per annos  
Virtuti viuas, nostris faueasque Camenis.

---

---

PERILLVSTRI ET EXCELLENTIS

D O M I N O

I O . G O T L . L . B . A G L O B I G

S V P R . S E N . E C C L E S . P R A E S I D I

Globigi, Aonidum decus ac tutela fororum,  
 O et praesidium nostri et spes maxima Pindi!  
 Vt tu litterulasque foues doctamque cateruam,  
 Ac nostram inprimis magna et praeclara Camenam  
 Expectare iubes, rebus seruasque secundis:  
 Sic tibi Dî faueant, longum placidique per aeuum  
 Adspirent coeptisque tuis, patriaeque saluti.

Tuque, o Nympharum pulcerrima, coniuge digna,  
 Cui te iunxere auspicio bona Numina dextro,  
 Vsq; vale; nec te fati vis aspera laedat!  
 Casta adsit Lucina tibi, videasque paterna  
 Virtute insignem sobolem, virtuteque matris.  
 O qui tum plausus ferient, quae iubila, caelum!

EXCEL



EXCELLENTIS. DOMINI  
IO. GOTL. L. B. A GLOBIG  
FILIOLAE RECENS NATAE  
FELICITER

---

Nascere, Globigidum proles Cythereia, matris  
Nascere delictum, spesque decusque patris!  
Ecce, operata tibi Charis est, cum Pallade docta:  
Et Venus ad cunas officiosa tuas.  
Omnis et Aonidum fundit bona carmina coetus,  
Et tenera Hyblaeis mellibus ora rigat.  
Vos quoque nunc faciles, quarum haec sunt munia, Diae,  
Aurea felici ducite fila manu.  
Sic patris in laudes, viuetque simillima matri,  
Et tibi Acidalia, et docta Minerua tibi.

---

LIBRI

CARMINA  
LIBRI  
DE ORIGINE VERA  
RVTAE SAXONICAE  
DEDICATIO

---

Magnanimi Heroes, sancti decora alta Senatus,  
Et docti tutela chori, tutela Camenae,  
Haec vobis suspendo piae donaria Musae.

Sit fas, Saxonicae dixisse insignia gentis,  
Iure illa Aonidum toties memorata cateruae:  
Neu tenui faciles munuscula temnite cultu;  
Vt placuit mola falsa bonis cum carmine Divis.

---

AD



## AD LIBELLVM

DE

## AVGVSTINO OLOMVCENSI

EIVSQVE PATERA AVREA

Vade igitur, quamquam tibi proh! nec pagina splendet

    Multa, nec ingenio conspiciendus eris:

Quamquam, parue liber, tibi nec Suadela Venusque,

    Nec decus est formae, nec tibi frontis honos.

Scilicet, vt nobis tam tempore scriptus iniquo,

    Fortunae speciem deterioris habes.

Namque inter belli fremitus dirosque tumultus

    Diffugiunt Veneres, diffugiuntque fales.

Otia pacis amat doctae pia turba Mineruae:

    Quisquis amat Musas, otia pacis amat.

Vade, licet per me: Felix, si Principis aulam,

    Et dabitur faciles eius adire manus:

Si te conspectu vacuus dignabitur almo,

    Iusserit et forulis blandus inesse suis.

Forte erit, vt quaerat, (namque est mitissimus ille)

    Plissiaci quid agat clara caterua foli?

Dic,

Dic, neque felicem, foles nec condere laetos,  
Quam prius optatos ipse reuifat agros:  
Interea duris studio solamen honesto

Quaerere, et iratis fundere vota Deis:  
Ut redeant pacis pretiosum tempora in aurum;  
Ut redeat patriae lausque decusque meae.

At te, parue liber, vatam quoque turba requirat;  
Et studiis faueant nomina grata meis.  
Vosque admittatis tenuem incultamque Camenae,  
Arcades, Aonii gloria summa chori.

---



AD  
 PERILLVSTR. DOMINVM  
 GVNTHERVM BVNAVIVM  
 IVDICII IMP. VEZLAR. ADSES  
 A. C. N. CICIDCCLII

---

**B**unai, Aonidum decus,

Seu tu Maeonio carmine concinis  
 Magni facta Georgii \*,

Vt pacem populis, seclaque patriae  
 Auro fulgida, reddidit;

Seu Munchufiaden ducis ad aethera,  
 Docti praesidium chori:

Miramur numeros, atque Heliconium  
 Argutae fonitum lyrae.

Illa, Threicio blandior Orpheo,  
 Vmbrarum genus asperum

Flectes, et rigidi culmina Caucafi:

illa

\* Georgii II. M. Britann. Regis, Elect. Brunsv. Luneb.

Illa postgenitis canes

Aeterna egregii nomina Principis.

O Pindi iubar aureum!

Lesboi fidicen maxime barbiti!

Me si diuitis ingeni

Vis, ac Pierii gloria carminis,

Aequarint humilem tibi,

Nil poscam immodicus maius Apollinem.

HONO



HONORI ET MEMORIAE  
IO. ELISAB. HOHMANIAE  
L. B. AB HOHENTHAL  
FEMINAE PRAESTANTIS

---

**M**e quoque tristitiae pietas iubet esse sodalem,  
Et iubet inuisa cingere fronde caput:  
Et madidas lacrimis violas sparsisse sepulcro,  
Dilectaeque umbrae munera moesta dare.  
Ah! nimis optatae fugientia tempora vitae,  
Et rigidum fati fasque nefasque queror.  
Ergo nec magnis Parcae virtutibus aequae:  
Heu mihi! formosae et sua fata manent.  
Nec fidi valitura diu sacra foedera lecti:  
Concordesque animas diuidit atra dies.  
Scinde, marite, genas, atque aethera planctibus imple!  
Coniugis ante rogum scinde, marite, genas!  
Et fufis super ossa piis tepidamque fauillam  
Fletibus, attonita pectora tunde manu!  
Quae tibi sollicitae superant solatia vitae?  
Oscula non capies, oscula nulla dabis.

E

Nulla.

Nullaque pendebunt flagrantia brachia collo:

It sine blanditiis, it sine luce dies.

Quo tibi nunc altaeque aedes, villaeque venustae,

Atque in vicino iugera culta solo?

Non ego diuitias, cinctas et turribus vrbes,

Non, sine coniugio, regna superba velim.

O fortunatum! viuuit cui candida coniux,

Nec, nisi longaeuo, dissocianda viro.

Doelchauiae valles \*, laetique silentia ruris,

Et feges, et nitido non sine fonte nemus!

Vos domino requies quondam sua, dum fugit vrbes,

Et comiti tenerae coniugis ire licet.

Crescite felices, dixit, mea gaudia, siluae!

Cresce diu, dominae villula cara tuae!

Hic erimus, Zephyris gratas spirantibus auras:

Tumque nouos flores hic, mea vita, legam.

Hic, procul vrba cura, spatiabimur agris,

Et mollem fessis conteget herba torum.

Iamque feret placidae laetus tibi dona colonus,

Primitias Cereris, mitia poma, nuces.

Et

\* Doelchauia, *Delkau*, villa sita inter Lipsiam et Merseburgum. Dn. Christiani Gotlieb Hohmani L. B. ab Hohenthal,



Et choreas circum ducent de more puellae,  
Placabuntque suos in tua vota Deos.

O hominum ignarae mentes, coecaeque futuri!

In freta fert rapidus votaque spesque Notus.

Heu! fuit, extento qua nulla est dignior aeuo,

Gloria nuptarum, Plissiadumque decus.

Blandus in ore pudor stabat, suavisque loquela:

Ingenium Musae condecorabat amor.

Talis erat certe virtusque et forma puellis,

Quum fluerent auro splendida secla suo.

Ferreus est omnis, quem non haec funera laedunt,

Nec tua sollicitum maxima damna tenent.

Caucaseis scopulis me non genuere parentes;

Nec tenero durus stat mihi corde lapis.

Audiat haec, et quae clari dant carmina vates;

Et faueat numeris vmbra beata meis!

CARMINA  
 EIVSDEM  
 ELOGIUM  
 OLIM IN EPICEDIIS PVBLICATVM

**E**t merito feminarum, animi ac formae praestantia insignium, nomen laude atque admiratione prosequi decet, ac posteritati ad intuendum imitandumque proponere.

Enituit autem illarum in choro Ioanna Elisabetha Hohmania, Lipsiae anno nono supra millesimum septingentesimum a. d. IX Kal. Maias, praestantissimis parentibus genita. Ab iis educata liberaliter est, ad omnemque virtutis et elegantiae cultum tam excellenter instituta, ut ipsae illam finxisse Gratiae viderentur. Litterulas, quas ornamento esse nobilibus feminis intellexerat, amore singulari complexa est, neque operae ulli pepercit, ut contam natura indolem magis in dies excoleret; longe ab iis diuersa, quae potius vultum, quam ingenium, componere adnituntur. Inprimis exterarum cognitione linguarum fuit conspicua, et, quod in muliere rarum, etiam Latinam haud mediocriter tenuit. Anglicam aliquando attigerat; refrigescente paullo post studio,



dio, ex morte adfinis, quem illius potissimum et auctorem et socium discendae habuerat. Gallice vero Etruscisque quam loqueretur aut scriberet, mira tum facilitas oris, tum gratia erat: alebatque illam multa ac diligenti lectione librorum, qui utraque in lingua optimi censebantur. Nec vero inter haec minores mulierum ac velut domesticae artes aspernata est: sed quanto alienior erat a rebus frigidis et inanibus, tanto plus curandae dirigendaeque rei familiari animum intendit. Nichil autem rerum omnium vnquam virtute prius et antiquius habuit. Quae laus magna vbique, in Hohmania eo maior aestimetur, quo paratior illi in tot ac tantis fortunarum illecebris ad culpam materia. Erat illius verum et sine ostentatione studium pietatis: animus, prosperis in rebus nunquam muliebriter elatus, nunquam sui muliebriter impotens: prudentia, humanitas eximia: facilis erga indigos opis ac frequens liberalitas: is denique decorum et virtutum concentus, vt praestantissimae feminae absolutam numeris omnibus imaginem exhiberet. Etenim moribus quanta elegantia inerat! Quam pari libra, cum suauitate, dignitas! Monstrabatur ob hanc maxime laudis partem, vt sexus sui ornamentum, Hohmania, omniumque in se ora et animos conuertebat

bat iucundissima illa comitas, illa vrbanitatis incredibilis gratia, quae indiulsas se illi vbique comites praebuere. Hinc tanta eius apud omnes, cum amore coniuncta, veneratio, tanta celebratio Hohmanianae domus, vt ciuium aduenarumque nobilium nemo temere esset, quin ad eam accedere, frui eius colloquiis, et sermonibus Hyblaeo melle dulcioribus, vehementer gauderet. Ne formam quidem splendor et commendatio festiuitatis destituit. Quippe contigerat oris frontisque venustissima species, blandi et fulgentes oculi, verecundus in genis rubor, totius corporis tantus cum pulcritudine decor, vt generosae animae habitaculum esse celeriter animadverteres. Gracilis adolescenti habitus fuerat; prouectiore aetate paullo opimior, vt modum tamen seruaret.

Iam vero quibus verbis, quo genere orationis edisseram eius matrimonii felicitatem! Annus agebatur huius seculi duodetrigesimus, quum a Spectatissimo Viro, Christiano Theophilo Hohmano, domum duceretur faustis, si qua alia, ominibus et laetis auspiciis. O mutua coniugum caritas! O concordia! O fides! Non poterant Superi tam exoptato connubio maius quidquam addere, nisi perennitatem. Sane

*Sic illi vixere, quibus fuit aurea Virgo.*

Itaque



Itaque collocata geniali toro, sexies Hohmania enixa est, magno suae domus incremento. Binae filiae, matre pulcra pulciores, cum tribus laetissimae spei filiis, superant: iamque vno hoc pater solatio fruitur, quod liberos conspicit maternam virtutem aemulari, maternam laudem nouis luminibus illustrare. Vtinam ipsa conspiceret, quam nunc ereptam rebus humanis iustissimo dolore lugemus!

Consiſtata aliquamdiu cum pertinaciſſima febrī fuerat: adfuleratque demum, poſt tot diſcrimina, certior ſpes valetudinis, quum improviſo in peius omnia ruerent, factoque impetu extrema fata vrgerent. Obiit magna cum pietatis teſtificatione, a. d. V. Idus Iulias anni poſt milleſimum ſeptingentefimum quinquageſimi primi. Laudata eſt a quibusdam amicis per carmina: quam plurimis tacito moerore immaturam mortem deſſentibus. Mihi quoque in praefens detur, quod ſolet poetis tragicis, funeſti caſus effigiem ſilendo ex oculis abripere, ne reuocetur ſuperſtitum dolor, qui eorum tam diu peſtora oppreſſit. Igitur aeternum ſalue, caeleſtis Anima!

*Molliter oſſa cubent, atque urnam perpetuum ver  
Cingat.*

CARMINA  
 IN  
 EIVSDEM FVNERE  
 LESSVS FRATERNVS  
*Nomine alieno.*

---

Iam fat meorum vidi ego funera:  
 Vidi parentis, cum gemitu, rogam:  
 Fratresque permistos sororum  
 Composui lacrimofus vmbriſ.

Eheu! virentem te quoque pallidis  
 Maturior vis ſedibus intulit:  
 Spretaque mortali caterua  
 Elyſiis dedit ire campis.

Non vanus olim Tyndarides nigras  
 Tranauit vndas, impavidum genus,  
 Et ferre manſuram peremto  
 Indocilis ſine fratre vitam.

Hac arte, ſi fas fata recludere  
 Aerata, terris quid moror amplius?  
 Ibo, ibo, raptae quo ſororis  
 Fert̄ dolor intrepidum perire.

O ſpes



O spes inanes! Quae semel occidit  
Vitae brevis lux, numquam homini redit.  
O funus! extinctumque gentis  
Praesidium, decus ac voluptas!

Ergo relictis quod superest, tuo  
Tristes sepulcro munera mittimus:  
Laudesque seruamus perennes  
Sub memori colimusque corde.

GENEROS. DOMINO

I O. R V D. A K I E S E W E T T E R

P O T E N T I S. P O L. R E G I E L E C T. S A X

A C O N S. A V L. E T I V S T

I N V I L L A S V A R V S T I C A N T I

Insertum est breue hoc carmen *Carminibus Arcadum*, Romae editis, P. II. p. 71 sq. Quem ego mihi honorem contigisse, magni facio, nemini ante me Germano habitum. Quapropter soleo, inter amicos, vsurpare illud Virgilianum:

*Se quoque principibus permixtum agnouit Achiuis.*

**D**um vacat, et nostrum delectant rura Menalcam;

Nos etiam siluae cultaque villa iuuant.

Nos petimus campos, curas et mittimus vrbis:

Rustica curarum nescit amara cohors.

Nunc caput impediunt verno de flore corollae,

Quas modo collectas candida Nympha dedit.

Saltantumque choros Dryadum Faunosque sequamur:

Quisquis adest, alacri ter pede pulset humum.

Nec nos Arcadicae cedamus carmine turbae:

Perfonet argutum dulcis arundo nemus.

Post



Post patula liceat captare sub ilice frigus,  
Mollis vbi fesso praebeat herba torum.  
Fons vbi lene fluit; suadetque in gramine somnos  
Nunc volucrum cantus, nunc leue murmur aquae:  
Mille vbi vestitis errant in montibus agnae:  
Duxque caper, magnam grex sequiturque Palem.  
Haec mihi iucundae contingant tempora vitae!  
Ah valeant vrbes! Vos ego, rura, volo.

---

PER

PERILL. L. B. A Z\*\*

*Quum in Academia Lipsiensi studiorum  
caussa versaretur.*

---

Sic, quem tradideram tibi Catullum,  
Pulcrum illum, nitidumque, candidumque;  
Tam pulcrum, nitidumque, candidumque,  
Quam nigrum, maculisque et hic et illic  
Informem, facinus! mihi remittis,  
Ad te nunc redit, heu! tuus Catullus.  
Quodsi restitues meum Catullum,  
Pulcrum illum, nitidumque, candidumque,  
Tam tu pectora torreas puellae,  
Quam dudum tua torruit puella.

---



PIIS MANIBVS  
FRID. OTTONIS MENKENII  
POTENTIS. REG. POL. ELECT. SAX  
A CONSIL. AVI.  
INTER ARCADAS  
POLIANTI CRIVNTINI

---

Quem Charites Musaeque dolent, et magnus Apollo,  
Menkeniden, rapido nuper sibi funere mersum,  
Menkeniden, Latiaeque decus columenque Camenae:  
Hunc etiam Arcadici lugent campique nemusque,  
Pastorumque omnis coetus, focique poetae.

Illi Castalides, illi sua munera Phoebus,  
Diuitis eloquii dederant, et carminis artem  
Ausonii, quo saepe Deos, quo saepe canebat  
Heroum genus, et gemini mysteria Pindi.  
O quae cantantis tum vox! quae gratia plectri!  
Quale erat illius carmen! Vidi vndique turbam,  
Et circumstantes ipsas denso agmine Nymphas,  
Attentis haurire animis dicta, aurea dicta,  
Atque inter sese diuino adplaudere vati.  
Non alius nostris fuerit praestantior agris!

Ah!

Ah! modo Pierii cantus, et pleetra lyraeque  
 Immites mollire Deas, ac tristia regna  
 Quiuissent: non te, sublaturum aetate virenti,  
 Immistumque vmbri quererer: moestique nepotes  
 Flebile duxissent longo post tempore funus.

Sint alii, Pario decorent qui marmore bustum;  
 Arcades immensae referant praeconia famae,  
 Atque suum caelo *Poliantum* laudibus aequent.  
 Dicant Aonides, dicant patriaeque Camenae,  
 Plissiaci vatem decus indelebile Pindi.  
 Ipse equidem magnum repetam et memorabile nomen,  
 Inducamque vrbis laurum tristesque cupressos.

A. R. S. CICIDCCCLV



N V P T I I S  
AVG. CHRIST. MARCHII  
I. V. D. ET SENAT. LIPS  
D. C

---

At quid moraris, Musa? age, Lesbium  
Laetor increpemus pollice barbiton,  
Castosque Marchi, Linkiaeque  
Carmine follicitemus ignes!

Io! canamus Castalidum decus,  
Sponsum, et puellam, moribus aureis  
Notam per urbem, plurimisque  
Muneribus Veneris potentem.

En, ille quantum, tot decorum nitens  
Effulguranti fidere, promicat!  
En, ille doctrina politus,  
Quam peperit sibi grande nomen!

At Marchianae non ego nomina  
Laudis loquaci carmine personem:  
Miratur haec imbelle plectrum,  
Digna cani meliore Musa.

Te,

Te, Nupta, dicam? Te fatis indoles  
 Excelsa mentis, foetaque gloriae  
 Claravit aeternae creatrix,  
 Et populi super arua vexit

Diuina Virtus: te Pudor et Pium,  
 Et nixa suauī pondere Comitas,  
 Amorque cingunt, atque nullo  
 Rara fides vitiata fuco.

Te pulcra Diuae filia Cypriae  
 Ambit, Venuſtas, ternaque Gratia  
 Tecum hospitatur: te tuorum  
 Condecorant monumenta laudis.

O par beatum! o dulcia nomina!  
 Dicenda multo nomina carmine!  
 O candidis vestros amores  
 Ominibusque auibusque laetos!

Fallor ne? Sancto pronuba foederi,  
 Damnoſa quod non imminuat dies,  
 Iam Diua plaufit: iam fidelis  
 Delicias thalami parauit:

Quem



Quem laeta circum dant choreas Venus,  
Iocique mille, et mille Cupidines.

Ite, ite! Iam vos sacra taedae

Flamma vocat: geminate greffus!

Ergo beati viuite! Gaudia

Connubialis cernite vinculi!

Videte quondam, sic vouemus,

Progeniem numerosiorem!

VIRO AMPLISSIMO  
IO. LVDOV. BIANCONIO  
REG. CONS. AVL. ET ARCHIAT

---

Ite, leues Musae! Si qua est in carmine virtus,  
Non eritis docto munera spreta viro.  
Ille, Machaonia quamuis magis inclitus arte,  
Castalidesque colit, Castalidumque lyras.  
Et siue Etrusca ludit fide, siue Latina;  
Adnuit argutis Phoebus et ipse fonis:  
Ite igitur! nec longa via est, nec ianua clausa;  
I liber! En, facilem porrigit ille manum.

---



FLORES SPARSI  
 IN TVMVLVM  
 MAR. HENR. TRILLERIAE  
 PRAESTANTIS FEMINAE

Ergo iterum ad lacrimas, et amico in funere planctus,  
 Poscimus, ah! toties moestae pars magna cateruae.  
 Poscimus. Ereptum decus, et sua gaudia solam,  
 Trillerus gemit Henricam, tristisque sepulcro  
 Inferias parat, et supremos, carmen, honores.

Illam nigra dies, et ineluctabile fatum  
 Abstulit insignem forma viridique iuuenta,  
 Et longe ante alias niuea virtute decoram.  
 O! mihi qualis eras, Charitum pulcerrima, primum  
 Adspicerem quum te, Moeni nouus hospes ad vndas,  
 Inuisas vndas, tua post crudelia fata \*.

Qualis in Idaliis fertur Cytherea campis  
 Diua ingressa, inter focias spectabilis vna  
 Caelesti forma, et roseae ceruicis honore:  
 Qualis et aetheria Phoebe procedit in aula,

F 2

Astro

\* Obiit Francof. ad Moe. num, A. R. S. MDCCCLXXII

Astrorum decus, ac placido splendore refulget,  
 Purpureo perfusa genas atque ora pudore:  
 Talem felices illam genuere parentes.

Aurea sperabam ducturas stamina Parcas:  
 Frustra equidem, et cineres iam nunc tenet urna sepultos.  
 Tertia saeuit hiems, et adhuc stat cura peremptae  
 Coniugis, ac vidui moerent sua damna Penates.  
 Luctus ubique, et ubique dolor: nec, ut ante, Camenam  
 Phoebeasque lyras, bifidique cacumina Pindi,  
 Saucius infando curat moerore maritus.  
 Tantum ille Elyfias vrget nunc fletibus umbras.

Tu quoque, Leucorides inter nitidissima, patris  
 Summum, nata, decus, matrique simillima proles,  
 Adstas, scissa comas, et pectora tunsa, sepulcro  
 Illacrimas, fundisque leues lamenta per auras.

Ast ego, dum docti tumulo dant carmina vates,  
 Serta legam, cineresque super moestissimus addam  
 Pallentes violas, et amantem busta cupressum.

---

VOTVM



VOTVM  
AD APOLLINEM  
IN  
DAN. GVIL. TRILLERI V. C  
SVBITO AC GRAVI MORBO

---

Si quid, Phoebe, potes, si quid modo carmina possunt,  
Carmina, Teutonicis queis nil mihi dulcius oris:  
Trillerum seruare tuum, natamque memento,  
Blandam oculis, roseisque genis frontisque decore,  
Quae matrem virtute refert, ac more venusto;  
Delicias patris, et viduae solatia vitae.

Vota valent: Trillere, vales, redeuntque lepores  
Ingenii, mentisque vigor, risusque Camenae.  
Sic te, Pieridum columen, seruauit Apollo.

---

VIRO ILLVSTRI

CAR. GVIL. MVLLERO

SER. EL. SAX. A CONS. BELL. SEGR

COS. LIPS

NYMPHA GOLISIANA

Ecce igitur, tanto Consul dignissime honore,  
 Nympha, tui cultrix nominis, ecce venit.  
 Golifiana venit Nympha, et tot fessa querelis,  
 Auxiliumque petit praesidiumque tuum.  
 Sordida, lassâ viae, coenosis squallida plantis,  
 Adspectu videor vix mihi digna tuo.  
 At tu, tot cinctus curis seu consulis vrbi,  
 Seu vacuus tangis dulcia fila lyrae:  
 Eia age, ruricolam ne, quaeso, sperne puellam,  
 Propitiusque audi vota precesque meas.  
 Sterne viam, ac facili gressu da visere filuas,  
 Vicinas filuas \*, arboreasque domos.  
 Sterne viam, ac nostris aditum da blandus amicis,  
 Dum nos diri imbres et grauis aura premunt.

Tunc

\* *Rosenthal*, (Vallis Rosarum) *sinum*, per quod via fert Golenemus prope Lipsiam amoenissimum.



Tunc venient Dryades, venient magno agmine Fauni,

Et laetos ducent per mea rura choros.

Et pede ter pulso, tibi carmina ter pede pulso

Dicent, noster amor, Plissiadumque decus.

Gaudebitque pater villae, materque benigna:

Omnis et adplaudet rustica turba tibi.

D. IV NON. DEC. CIOCCCLXXVIII

VIRO ILLVSTRI  
WOLFG. GE. WELKIO

SER. ELECT. SAX. CONS. AVL

---

O doctum caput! o fidele pectus!  
 O vos versiculos, amore plenos,  
 Pulcros, candidulos, venustulosque!  
 Sic te, quem iuuenem Minerua fouit,  
 Et quem plus oculis suis amauit,  
 Pulcrum, candidulum, venustulumque,  
 Post tot tempora adhuc fouetque amatque;  
 Post tot tempora adhuc tuisque plaudit  
 Pulcris versiculis venustulisque.

O, longum valeas tibi tuisque,  
 Musarumque choro, bonisque amicis,  
 O doctum caput! o fidele pectus!

A. R. S. MDCCCLXXV

---

EIDEM



## EIDEM

NATALEM LXXV GRATVLATVR

**V**iuis, et incolumis post tot bene lustra peracta,  
Fortuna frueris laetitiaque tua.

Et frueris faustaue domo, cum coniuge cara;

Et frueris Musis, ingeniique bonis.

Est tibi, quae fuerat quondam, iuuenique senique,

Et mentis vigor, et nobile in ore decus.

Est suadela tibi, doctarum et copia rerum,

Et Venus Aonii carminis, atque lyrae:

Hoc est, hoc, Vuelki, felicem viuere vitam:

Sic viuasque tuis, oro, tibiue diu!

CARMINA  
 VOTA  
 PRO  
 PACIS REDITV  
 IN ADITIONE  
 PROFES. HISTOR  
 NVNCVPATA CIOIOCLLVIII

---

**P**ax tandem, Pax alma, redi, Pax optima rerum,  
 Deliciaeque hominum, deliciaeque Deum!  
 Quae primum coluit terras, et condidit vrbes:  
 Condidit et Regum, splendida tecta, domos.  
 Quae primum docuit leges, rectumque piumque;  
 Expulit et mores ingeniumque ferum.  
 Diuitiasque dedit pulcras, et pulcrius olim  
 Diuitiis studium, docta Minerua, tuum.  
 Quae primum docuit blandos cantare poetas,  
 Dulcis et ad numeros tangere fila lyrae.  
 Pace Ceres laeta est, ornataque tempora spicis:  
 Stat, Pomona, tibi, stat tibi, Liber, honos.  
 Currit et extremos tutus mercator ad Indos,  
 Dum sibi sollicitas quaerit auarus opes.

Pax



Pax tandem, Pax alma, redi, Pax optima rerum,  
 Deliciaeque hominum, deliciaeque Deum!  
 Adspice Germanis quantum dominetur in oris  
 Mars ferus, et culti iugera vastet agri.  
 Ut diros crudelis agat Bellona iugales;  
 Perque vrbes patrii caraque rura foli.  
 Heu! heu! quanta virum strages! quam decolor amnis,  
 Decolor effuso sanguine terra fuit!  
 Heu! heu! Saxoniae fatum, tristesque Penates!  
 Nec decus Aonio, quod fuit ante, choro.  
 Vndique terror adest: Auftris agitata carina  
 Sic pauet, irato praeda relicta mari.  
 Tertia iam miseris trahitur mortalibus aetas;  
 Necdum nos fortis spes melioris habet.

Pax tandem, Pax alma, redi, Pax optima rerum,  
 Deliciaeque hominum, deliciaeque Deum!  
 Sive per arduas Libyae spatiaris arenas,  
 Perque truces Arabas, Aethiopasque truces:  
 Seu tu Sauromatum procul hinc versaris in armis,  
 Diua pharetratos inter amica greges:  
 Seu te terrarum potius tenet vltima Thule;  
 Seu magis Hesperiae mollior aura plagae:

Seu

Seu penitus nostri generis pertaesa, reuifis  
Caelestesque choros, fidereasque domos:  
Huc ades, et tecum foecundo Copia cornu  
Teutonicos repetat conspicienda Lares.  
Priscum et Saxoniae redeat, meliore metallo,  
Tempus, et ingeniis praemia pulcra bonis.

Pax tandem, Pax alma, veni, Pax optima rerum,  
Deliciaeque hominum, deliciaeque Deum!  
Te ciues precibus, votis te curia patrum,  
Te desiderii femina virque vocant.  
Iamque tibi choreas, laetae tibi munera messis,  
Sertaque pastores, rustica turba, vouent.  
Iucundasque bonus condit tibi vinitor vuas,  
Nec nisi festiua pocula sumta die.  
At vos, Pliffiades Musae, date dona reuerfae,  
Et testudineae carmina grata lyrae.  
Ipse ego, cantanti fuerit si dexter Apollo,  
Ipse ego non segnif gaudia veftra fequar.  
Venturifque canam laetus tua munera feclis,  
Pax bona! Pax tandem, faepe vocata, veni!



V. S. R  
 ROMANO TELLERO  
 SVPR. IN THEOL. HONORES  
 CAPESENTI  
*Nomine alieno.*

---

Quis te, tuorum fidus amabile,  
 Tellere, et ingens Pliffiadum decus,  
 Quis te aufit imbelli, fauentem  
 Per patriam, refonare plectro?

Te, te potenti dicere carmine  
 Certent poetae; te fidibus nouis,  
 Modisque inauditae Camenae  
 Postgenitis memorare fecis.

Nam qui, priores te meritis, ferant  
 Aeterna vatum munera: munera,  
 Auroque, gemmisque et superbis  
 Pontificum potiora gazis?

Tu dignus illis. Est animus tibi,  
 Caelique plenus, plenus et artium,  
 Quas clara doctrinis Achaia,  
 Et Latii peperere colles.

Quae

Quae Suada labris! Quis Deus aureo  
 In ore regnat! Quam populus stupet  
 Te iussa pandentem Tonantis!  
 Quam cupida bibit aure dicta!

Sic fertur olim nobilis Orpheus,  
 Dulci remisit carminibus lyra,  
 Siluasque inaccesasque rupes  
 Haemonii docuisse montis.

Te sanctioris fama scientiae  
 Transcripsit astris, Eusebies decus,  
 Spes nostra, nostrarumque praesens  
 Delicium columenque rerum.

Inuisa per te, Religio suis,  
 Cognata caelo, fulget honoribus:  
 Puroque consecrata cultu,  
 Ara flagrat meliore flamma.

Sic Fas et Aequum nudaque Veritas  
 Urbem frequentant, te duce: sic Pudor,  
 Et prisca Virtus, et fideles  
 Confociant sua iura mores.

Frustra



Frustra reluctans Impietas ruit,  
Fatale monstrum, progenies Stygis:  
Scelusque non audet profanum  
Candida sollicitare tecta.

O nos beatos! Pfallite, plaudite,  
Tanto, sodales, plaudite praesuli!  
Diemque Cretaeis lapillis,  
Nec solito decorate cantu!

Nunc, nunc tot altis debita laudibus,  
Tot parta factis, fuscipe praemia,  
Tellere, nunc sacros honores,  
Ante diu meritos, capeffe.

Eia, auspiciis muneribus frui  
Donet benignum Numen, et arduos  
Secundet ausus, ac potenti  
Incolumem tueatur astro!

Si fas precari plura, precabimur:  
Nostras tueri perge, iuuantibus  
Dis, semper aras! Di, vocati  
Rite, dabunt patriae salutem.

---

AD

CARMINA  
 AD  
 VIRVM CONSVLTIS  
 IO. VENDELIN. NIHSVIVM  
*Quum I. V. D. inauguraretur.*

Nec te filebo, Nihufides! Pium  
 Festo, Camenae, reddite barbiton  
 Cantu sonorum, iamque sacros  
 Eloquii referate fontes.

O te canendum! Natus ad ardua,  
 Iamiam citato pectoris impetu,  
 Coetusque vulgares et vdam  
 Spernis humum, superasque maior

Arces subintrás! Te soboles Deúm,  
 Virtus, et ardor laudis, et indoles  
 Erecta, praeclaros in ausus  
 De teneris animavit annis.

Iam tunc avarus laudis et artium,  
 Et vitam inertem viuere nescius,  
 Sollers legebas, quidquid olim  
 Cecropiae cecinere Musae:

Quid-



Quidquid Latinis Pallas in arcibus  
Pulcrum, inuidendum, non imitabile,  
    Sermonem produxit pedestri,  
    Seu numeris fidibusque Phoebi.

Illis docebas omnibus puer,  
Qui sis futurus. Quippe aquilae vigor  
    Se prodit in nido, et leonum  
    A tenero calet vngue virtus.

At mens, et alti dos data spiritus,  
Et copiosae cura scientiae  
    Infomnis, et famae cupido,  
    Et decorum generosus ardor,

Vires ab annis duxit euntibus.  
Nunc et sagaci Pierium manu  
    Tractasse plectrum, nunc Quiritum  
    Dulce loqui celebraris ore.

Nunc te, secundis vsque laboribus,  
Priscaeque leges et minitancia  
    Edicta, maiorumque iussus,  
    Plissiacus Batauusque vidit

G

Hau-

Haussile Pindus: vidit, et vndique  
Laudum tuarum plausibus insonat:  
Themisque vidit, tot peractis  
Nobilibus recreata coeptis.

Macte, o verendae Iustitiae facer  
Mystra! auspicatis tendere gressibus  
Illuc remittes numquam, vbi alta  
Aetherei patet orbis aula.

Vt purpurarum clarus honoribus  
Iam nunc refulges! Mitraque nobilis  
Vt te ornat, innuptoque gemma  
Irradiat digito marita!

O te beatum! Sic faueant tibi  
Longum merenti candida Numina!  
Sic te fecudent, mellibusque  
Te faturent cyathisque Phoebi.

---



AD

E V M D E M

*Nomine alieno.*

**D**um tibi festiua, Carissime, carmina luce,  
Carmina Romuleis scribere tento modis:  
Dum titulos amplosque, tibi qui dantur, honores,  
Ac meritas laudes dicere Musa parat:  
Ne dicam laudes, ne scribere carmina tentem,  
Ponere iam calamum, meque filere iubes.  
Quid, loquar, an fileam? Simul et iuuat esse loquutum:  
At tu quum prohibes, et tacuisse iuuat  
Clara tuae prohibes me dicere nomina famae,  
Qui minus apta tuis laudibus ora geram.  
Nouimus, ingenuas quam auide puer hauseris artes:  
Et iuueni studium, mensque virilis erat.  
Seu caput exfereret fol, siue reconderet vnda,  
Perstabas doctis inuigilare libris.  
Ante alia, Aufonias tibi dulce reuoluere leges,  
Et consultorum tot monumenta fuit.  
Nec minus ardebas vernacula noscere iura,  
Et quae Saxonides iussa dedere Duces.

G 2

Plura

Plura quid adūciam? Nil non didicisse lubebat,  
 Vnde foret fructus, vel decus vnde tibi.  
 Viderat egregios, sublimi ex fede, labores  
 Sancta Themis, nostri fida magistra chori.  
 Viderat: et plausit visis, et laeta videndo,  
 Non femel, o, dixit, postmodo qualis eris!  
 Scilicet excultus studiis, legumque peritus,  
 Eximium nostra nomen ab arte feres.  
 Tantorumque feres mox praemia pulcra laborum,  
 Insignes titulos purpureumque decus.  
 Fatidicam Themidem! Sua sunt oracula Diuis:  
 Ille es, quem memini te cecinisse Deam.  
 Iam rutilo fulgore micat, fructusque perennes,  
 Quos labor et virtus promeruere, capis.  
 Adgredere o magnos, nil te remoratur, honores,  
 Frater, et o animae portio cara meae!  
 Adspice, tam faustis laetentur vt omnia rebus:  
 Ferreus, haud illis qui moueatur, erit.  
 Et Themis, et Patrum gaudet sanctissimus ordo:  
 Adplaudit meritis docta caterua tuis.  
 Vosque exultatis, patrii, mea cura, Penates,  
 Ante alios; felix sitque, iubetis, honos.  
 Sic tibi contingant dulcissima tempora vitae!  
 Sic votis habeas fata secunda tuis!



IN OBITVM  
CHRISTIANI NIHVSII  
MERCAT. LIPS. SPECTATIS

**H**uc ades ad lacrimas, Elegeia, flebile carmen!

Huc ades, ad gemitus huc gemebunda veni!

Ferales habitus, inuisumque indue peplum,

Et volitent sparsae, scissa per ora, comae.

Occidit, ac tristi iacet ossa reconditus umbra,

Nihusius, columnen gentis, et urbis amor.

Occidit, adtonitos nec curat, ut ante, Penates:

Stat domus a domino moesta relicta suo.

Ille, inter ciues quo non seruantiore aequi,

Ille tuus, Probitas candida, vixit honos.

Vixit et exemplum virtutis: vixit, et idem

Semper laude recens, laude superstes erit.

Viuitur aeternum meritis; mors corpora tollit:

Nec fugias votis, nec pietate rogam.

Heu! negat immites Parca inuida flectere leges:

Iniicit in quemuis imperiosa manum.

Nec te, sancte Senex, nec te tua plurima virtus,

Nec rapidae pietas eripere neci.

Nec poterant lenire preces fata, horrida fata;

Nec poterant atrum pellere vota diem.

O quoties, timidas tendens ad fidera palmas,

Sidera dura rogo, fidera dura queror!

Et queror auerfos, quondam mea Numina, Diuos;

Et queror in nostras tristia regna vices.

Et modo carminibus, (placantur carmine Diui)

Ad mea tentabam vertere vota Deos.

Vota ego, Dî, facio: damnetis me quoque votis!

Dî, valeat longum tam mihi dulce caput!

Vellere tum niueo vestras cadet agnus ad aras;

Splendebitque sacri thuris honore focus.

Tumque merum fundam pius, adfigamque coronas,

Adiiciam titulum muneribusque meis.

Cur ego non tetigi Superos? Quid fulmina mittunt?

Hostibus ah noceant fulmina dira meis!

Quid precor infelix? Volucres vota irrita venti

Per mare, per terras, diripienda ferunt.

Occubuit! Neque enim praesagia falsa monebant;

Pallor et insolitus funeris augur erat.

Heu mihi! quas febres, quo vidimus agmine morbos!

Plurima terrebat mortis imago torum.

Ite, piae lacrimae, nunc ite frequentibus vndis!

Ite, rigate genas! ite, rigate sinus!

Ite!



Ite! iuuat focios lacrimis confundere fletus,  
Natorum pietas queis lauat ossa patris.  
Proh miseros natos! infausta que funera patris!  
O pater! o tecum gaudia quanta ruunt!  
Adspice, si qua mouent sacros mortalia manes,  
Adspice funestam post tua fata domum.  
Totque in ea lacrimas, passisque tot ora capillis,  
Adspice tot trepida pectora tunsa manu.  
Ah, modo quid possent planctus crinesque soluti!  
Sed nulli gemitus te reuocare queunt.  
Ac iam, parte tui meliore, receptus ad astra,  
Astra inter, Superum gaudia summa capis.  
Dimidiumque tenet tellus: teneatque sub aequo  
Pondere, nec durus praegrauet ossa lapis!

---

Dum Quelmalziadae nomen, laudesque decusque  
 Perpetuant Musae; magni dum busta magistri  
 Paeonius recolit coetus, luctumque refumit:  
 Nec nos, o Socii, ingentis taceamus amoris  
 Pignora, carminibus longum celebranda per aeuum.

At memorare Virum, praeclaraque facta referre,  
 Ille ego, Pieriae non, vt prius, assecla turbae,  
 Adgrediar, quamuis multum indignante Camena  
 Desertas Helicone lyras, desertaque pleetra?  
 Tanta viro virtus, tanta est praestantia laudis!  
 Olli namque datum doctas et Apollinis artes,  
 Vitales succos, atque herbas nosse potentes,  
 Per variosque modos Libitinae numen acerbae  
 Placare, et remoram rapidis imponere fatis,  
 Maiorumque sequi clarae vestigia famae.

Non ego prisca canam: non te, cui nomina riuus  
 Fecerat\*, o nostri decus indelebile Pindi,

Andrea,

\* *Anár. Riuinus* significatur, Physiologiae et Poeseos Prof.  
 in Academia Lipsiensi quondam Publ. doctissimus.



Andrea, o patriae lumen, noua gloria gentis!  
 Nemo adeo ignarus, Musaeque haud deditus vlli,  
 Quin te Phoebea redimitum tempora lauro  
 Norit, et Aoniae praeconia plurima laudis.  
 At nec dissimiles, praefens quos protulit aetas,  
 Doctrina egregios, veterisque Machaonis arte,  
 Vidimus, heu! nimium crudeli funere merfos.  
 Talis eras, alios inter spectabilis vnus,  
 Hebstreiti, faciles cui dulcia carmina Musae  
 Adnuerant, artemque suam, sua munera Phoebus.  
 Et Quelmalziaden nuper, te pone sequutum,  
 Abstulit atra dies nobis nostrisque Camenis.

Olli quantus amor, Socii, rectique bonique!  
 Et pietas, et prisca fides, et nescia fastus  
 Simplicitas, rebus quantumuis laeta secundis!  
 Immensos alii tacitis, longo ordine, cistis  
 Componant quaeustus, irritamenta malorum:  
 Blanda iuuent alios ignobilis otia vitae;  
 Atque alios strepitusque vrbis, luxusque superbi.  
 Vidi ego contentum modicis, et paupere cultu  
 Gaudere, et Laribus paruis, vmbraque silenti,  
 Heu! thalami ignarum focii, taedaeque iugalis.  
 Vidi ego, Pierides, in publica commoda largas  
 Condere diuitias, miseris solamina rebus.

Est sacra Aonidum sedes, senioque verenda,  
 Et Phoebæ dilecta suo, dilecta Mineruæ,  
 Quamquam humili turres desunt, atque aurea tecta,  
 Et nitidum incultae, Pario de marmore, limen:  
 Principibus decus, ac magnum et memorabile nomen  
 Principibus debet \*, doctæ famamque cateruæ.  
 Hanc tu, Quelmalzi, (sic Dii voluere) benigno  
 Munere, post obitus supremaque funera, ditas.

O bone! nostrarum spes o fidissima rerum!  
 O decus! o focia dulcis tutela Camenæ!  
 Quo nos te meritum grati celebremus honore!  
 Quæ monimenta tibi, tumulo quæ dona rependam,  
 Undique dum mîseros vrget crudelis Erinnyæ,  
 Undique terrificis Mauors dum fulminat armis?  
 Carmina si possint manes placare sepultos;  
 Si quis amor fuerit Musæ caelestibus umbris:  
 Ne spernas, Venerandè, pios munuscula versus,  
 Et quas ferali lauros inducimus vrnae,  
 Auspiciis Superûm quondam maiora daturi.

---

\* Collegium Principale Maius.



AD  
AMICVM QVEMDAM  
MOESTISSIMVM VIDVVM  
CONSOLATIO

*Nomine alieno.*

---

**D**esine fata queri, manesque vrgere sepultos,  
Dilectos manes, et non reparabile damnum.  
Cessent funerae taedae, tristisque cupressus,  
Et lacrimae, et gemitus. Non haec sibi munera coniux  
Postulat; aetherea nec sic reuocabilis aula est.

Elysiis immixta choris, Diuūmque cateruae,  
Illa domos habitat laetas, templa aurea caeli,  
Planctus vbi questusque absunt, dirique dolores.

Nec tamen abcessit simul omnis cura suorum,  
Et longo, ante alios, fracti moerore mariti.  
Fallor? an ingentem celsi de limine Olympi  
Despiciens, iubet ipsa animis depellere luctum,  
Nec viduum deslere torum, sobolemque relictam.

Haec tibi semper erit vitae solamen acerbae,  
Deliciumque domus, ac spes benefida senectae.

Cernis

Cernis, vt incedant patriis virtutibus omnes ;  
 Vt referant matrem, qua non praestantior vlla  
 Inter Plisiades, vultuque et more venusto.

At modo Dî demtos addant tibi coniugis annos,  
 Et, sine nube, sinant placidos procedere soles.



AD AMICVM  
 SVPER OBITV  
 DVLCISSIMAE CONIVGIS

Alf ego tot fractum curis, tot vulnera paffum,  
 Et viduos inter planctus, infandaque damna,  
 Funereasque faces, quali te carmine foler,  
 Stecki, praecipuos inter memorande fodales?

O fortunatum quondam! dum vita manebat  
 Coniugis, heu! nimium properato funere merfae.  
 Illa inter Suevas praeflanti corpore Nymphas,  
 Et quas Pliffiacis propior Sala confpicit aruis,  
 Naïadas, forma infignis, laudisque decore.  
 Virgineus ftabat pudor ore, et brachia circum  
 Atque humeros ebur, intaéta niue purius, olim.  
 O quae fermoni, teneris quae gratia verbis!  
 Quanta animo virtus inerat! quae cura mariti!  
 Quantus amor, lectoque fides pietasque iugali!

Vix dum florenti vicesima ducitur aestas;  
 Nec Phoebes totum frater compleuerat orbem,  
 Ex quo prima tibi noua contulit oscula coniux,

Aufpi-

Auspicio Superûm, et castos iuravit amores.  
 Iamque instant rapidae, genus immiserabile, Parcae,  
 Crudelique vrgent fato, merguntque sepulcro.

O, quibus est pietas curae mea, Diique Deaque,  
 Tam dirum capiti nostro depellite fulmen!  
 Meque annis faturum, annosa cum coniuge, quondam  
 Eximat vna dies aeuo longaeque senectae!

At vos, dilecti cineres, queis iusta paramus,  
 Aeterni flores cingant, vramque silentem,  
 Nec durus lapis vnquam angat, nec inhospita tellus.

---

 VIRO



VIRO AMPLISSIMO  
CAR. LVD. VIEDMARKTERO  
LEGAT. SAX. AD M. BRIT. REG  
AB EPISTOLIS

---

Quid tibi visa Thetis? Liquidi quid regia Diui,  
Nereidumque chorus?  
Murmura quid pelagi, et toties malefida carina,  
Aeoliaeque minae?  
Nonne fuit fatius placidam traducere vitam,  
Ambitione procul?  
Et procul a pelago, procul et ciuilibus vndis,  
Rura beata sequi?  
Et patrios coluisse Lares, interque Camenas  
Composuisse diem?  
Non ego, quid Rhodani poter, quid Iberia, curo,  
Et ferus Indus agat:  
Quae mare follicitent classes: quae dira Britanni  
Pectore bella coquant.

At

At me Plisfiacis tacitum sic Pallas Athenis,

Pieridesque tenent.

Et iuuat Aonios inter iuuenesque virosque

Tempora transfigere.

Hoc erat in votis: Superi maiora dedere,

Et meliora dabunt.



VIRO ERVDITIS  
I O. HENR. LEICHTIO  
PROF. A. A. LIPS

*Quum ad eum Petri d' Orville poemata  
remitteret.*

---

Sic Graiae faueant tibi Camenae,  
Vt Graiae tibi sunt Camenae amoris,  
Mufarum decus, erudite Leichi!  
Tam tu carminibus Tibullianis,  
Doctis carminibus, venustulisque,  
Mulcebas genium tui sodalis,  
Laffatum genium tui sodalis,  
Tot nugis Bauisque Maeuisque,  
Di magni! infpidis, et infictis.

At vos, o Charitum Cupidinumque  
Pleni verficuli, valet, abite  
Vestrumque ad dominum, meumque amicum:  
Qui vos plus oculis suis amabit,  
Ipsam vt plus oculis meis amabo.

---

CARMINA  
 IN  
 MORTEM ACERBAM  
 I O. HENR. LEICHI

---

Te quoque, te, Leichi, laetum vernantibus annis,  
 Chorus reposcit Caelitum!  
 Ac tua Lethæo conduntur lumina somno:  
 Terrisque te fata inuident!  
 Sunt, quibus inuisum est miseram traducere vitam,  
 Quod ruga fulcauit genas;  
 Quod nec vena calet, risusque iocique recedunt,<sup>1</sup>  
 Curaeque pectus obsident;  
 Quod sine laude dies abeunt, sibi nullius artis,  
 Mentis nec altae conscis.  
 Hos habeat domus exilis Plutonia; tellus  
 Sine lacrimis hos contegat.  
 Te, decus Aonidum, properata morte peremtum,  
 Lugemus omnis ciuitas.  
 Puniceas rapido ceu turbine demetit Auster,  
 Curam puellarum, rofas:  
 Heu mihi! sic validum Parca abstulit inuida nostris,  
 Amice Leichi, te choris.

Abstu-



Abstulit attonitis crudeli funere Musis

Te, dulce Musarum decus.

Ergo, nec magnae profunt praeconia laudis:

Heu triste fatum! nec iuuat

Pectore Pieridas, totumque Heliconam referre:

Sors vna mortales manet.

Sunt apud Elysiū sacri longo agmine vates,

Aeterna Pindi nomina;

Tot praecepti heroes, doctae capita alta cateruae:

Quos inter accumbis pius,

Nectareosque bibis cyathos, tam nobilis vmbra,

Diuūmque vitam transigis.

At nos interea dabimus tibi munera, cantus,

Laudesque dicemus tuas.

Egregias laudes dicemus, et ossa quotannis,

Bustumque spargemus rosa.

PRID. NON. MAII A. R. S. CICIDCCCL

CARMINA  
SVPER OBITV  
CHRIST. LVD. SCHEIDII  
ICTI ET HISTOR. CELEBER

---

Sit tibi terra leuis, Scheidi, nec carmina busto,  
Nec lacrimae desint, purpureaeque rosae!  
Heu, decus Aonidum, Germanae gloria gentis,  
Heu, doctae periit conditor Historiae!  
Te patria ereptum, rerum te nuncia Musa  
Luget, Pieridum Munchhusfidesque salus.

---



IN  
LVDOV. VICTORIAM ADELG  
GOTSCHEDIAM  
DOCTISSIMAM FEMINAM

---

**H**anc genuit Gedanum, docuit cum Pallade Phoebus,  
Adfociat Clario Calliopeia choro.  
Seu graue condit opus, seu ludit amabile carmen,  
Tangit et auratae dulcia fila lyrae:  
Seu legit antiquos, lingua loquiturve recenti,  
Adplaudunt sociae Numina docta Deae.  
Magna viri laus est: at tu, Gotchedia, summum  
Nympharumque iubar, Castalidumque decus.

---

---

GOTSCHEDIAE  
FEMINAE PRAESTANTISSIMAE  
DIE IPSIVS NATALI

---

**H**aec est, Pierides, diesque vestra,  
Vestri, Pierides, diesque Phoebi,  
In qua Teutonicae decus Camenae,  
Nata est Kulmia, luxque feminarum,  
Quot sunt, aut aliis erunt in annis,  
Decus, Kulmia, Lipsicique Pindi.

Hanc nouit Rhodani colitque potor,  
Et nouit Tamesis colitque potor,  
Et quantum est hominum politiorum.

At vos, Pieridesque, tuque Phoebe,  
Vestrum delictum, decusque vestrum,  
Vxorem simul, et simul maritum,  
Iubete incolumes diu et beatos  
Et vobis simul, et sibi valere.

---

VIRO



VIRO AMPLISSIMO  
IO. FRIDERICO MAIO

MORAL. AC POLIT. PROF. LIPS

*Quum ei, die ipsius natali, Horatii Carmina  
dono offerret.*

---

**F**laccus adest, carusque tibi nostrisque Camenis:

Testis amicitiae, Candide, Flaccus adest.

Scilicet haec sacra ferimus tibi munera luce:

Soluimus et Superis debita vota bonis.

Non tibi diuitias, aurique potentis aceruos,

Nec titulos, nomen prorsus inane, precor.

His alii bellos se iactent, atque beatos:

Et titulis plaudant diuitisque suis.

Dî tibi nobiscum laetam deducere vitam

Donent, ac cithara carminibusque frui!

A. D. X̄. KAL. APR. A. CIOIOCCCLVI

AD  
PORTAM SCHOL. PROVINC  
PROPE NVMBVURGVM

*Quum illam, in itinere Ienensi, praeter-  
veheretur.*

---

**N**umburgi puero sunt haec mihi moenia visa:  
Te quoque, Porta, meae nutrix dilecta iuventae,  
Visere vicinam vellem, carosque magistros,  
Freytagium inprimis, nobis Permessidos vndas  
Et gemini ostendit princeps qui culmina Pindi.

At iubeor properare alio: nec pascere mentem  
Adspectuque tuo datur, adspectuque patroni.  
Interea saluete mihi, felicia rura!  
Saluete o nemora, et montes, vallesque beatæ,  
Pieriaeque umbræ! quas, Dî modo vota secudent,  
Aeternum Aonius cum Phoëbo et Pallade coctus,  
Aeternum docti teneant iuuenesque virique.

---



## LATINA

121

AMICAE DOMVS  
INAVGV RATIO

O mihi dilecti nimium, saluete, Penates!

Saluete, o focii candida tecta mei!

Quam laeta est facies vobis! quae culmina furgunt!

Quod decus! et nitido gratia quanta foco!

Tempus erat, formosa domus, quo squallida stabas,

Heu! latebra, hospitibus tristior ipsa tuis.

Quo tibi non risus, nec cognita turba iocorum,

Nec fuit ingenium, nec tibi forma fuit.

Saepe ego vicinus, memini, tum lumina verti:

Saepe ego tum fatis ingemuique tuis.

Vtque mihi rigido non sunt praecordia ferro,

Optauit faciles in tua vota Deos.

Vota cadunt: En, tota nites, totamque per urbem

Monstraris digito N\*\*\* domus.

O bene N\*\*\*! per quem rediuiua refurgis,

Noster amor, domini deliciaeque tui.

CARMINA  
 IN NOVAM  
 CLEMENTIS IANITII  
 POEMATVM EDITIONEM  
 A  
 FRATRE  
 IO. EHRENF. BOEHMIO  
 CVRATAM

---

O mihi Sauromatum dulces, saluete, Camenae!  
 Salue Ianitii Calliopea chelys!  
 Itala quam coluit tellus; cui totus, amore  
 Captus Apollineo, Vistula plaudit aquis.  
 Cui Cricius placidas, et cui Cmita adplicat aures\*,  
 Maxima Castalii gloria vterque chori:  
 Et Cricio fimiles, Cmitae fimilesque Zaluscæ,  
 Sarmatiae decus hic, Sarmatiae ille decus.  
 Hi quoque, Ianiti, mansisset si tibi vita,  
 Ornassent Musae carmina clara tuae.  
 Ledaei fratres, patrii capita alta Senatus,  
 Insignes meritis et pietate viri.  
 Atque Aganippaeae caneres praeconia laudis,  
 Et caneres doctae limina sacra domus:

Queis

\* *Andreas Cricius*, Archiepi- *Cmita*, Palatinus Cracouiensis;  
 scopus Gnesnensis; et *Petrus* Maccenates Ianitii.



Queis Charitum chorus omnis adest, vatumque caterua;

Et resonant mistis aurea plectra tubis.

Sic quoque Pierios inter memorande sodales,

Iam tumulo cernis te superesse tuo.

Iamque adsis, dilecte mihi, totiesque cupite,

Deliciae Venerum Castalidumque, liber.

Ornatus minio venias, ac fronte politus,

Et tibi sit toto gratus in ore decor.

Qualiter Heerquenio visus, sua cura, Secundus;

Qualiter Heerqueniis visus et ipse mihi \*.

Ille Camenarum castus Phoebique sacerdos,

Ille sodalitiis lucida stella mei.

Nec te Lechiadae tantum teneantque legantque:

Te foueat, Musas fertaque quisquis amat.

\* *Gerardus Nicol. Heerkens*, stelod. 1754. 4. Idem etiam *Jani-  
tii Carmina*, a fratre meo colle-  
cta, ac Lipsiae 1755. 8. edita, hu-  
manissime exceperit, eleganti epi-  
grammate, quod infra, in Ami-  
corum Carminibus, legi potest.

VIRO CLARISSIMO  
 GE. CHRIST. KREYSIGIO  
 A. M

---

Breue hoc Hendecasyllabon, ex priore Poematum no-  
 frorum editione, legitur etiam in Carminibus Ar-  
 cadum, P. II. p. 72.

Promissum tibi mittimus libellum,  
 Incontum, lapidemque, caudicemque,  
 Plenum pulueris atque aranearum,  
 Et si quid magis est eis inane.  
 At nostro capiti, caue, impreceris:  
 Peccatum nihil est, amice, nobis:  
 Promissum tibi mittimus libellum.

Tibi hic pagina non legetur vlla,  
 Hic versus tibi non legetur vllus,  
 Tibi hic littera vix legetur vlla,  
 Absque frigore tussibusque centum.  
 At tu, qui bonus es, mihique carus,  
 Tam carus mihi, quam tibi Camenae,  
 Flos sodalitiū decusque nostri,  
 Istis, si sapias, abstineto nugis.

---

AD



AD

AMICVM

*Quum ei Frid. Ottonis Menkenii Carmina transmitteret.*

---

Inferri sunt hi quoque versiculi, Carminibus Arcadum, P. II. p. 73.

**E**n tibi Menkeniae cultissima carmina Musae!

Carmina Romani sic cecinere viri.

Haec nos delectant vacuos: his otia fallas,

Otia, quae ducis Palladis inter opus.

Tunc cum Pliffiacis, age, vati adplaudes Camenis,

Et Clario mecum dic bene, Amice, choro.

---

AD

AD

AMICVM VETEREM

---

\* \* dulce mihi meisque nomen,

\* \* si sapias, vt sapias profecto,

Ventis ocior illico aduolabis,

Et quasdam tibi cogitationes

Gratas accipies tui sodalis;

Quamquam te retrahet puella bella,

Nigris illa oculis puella bella,

Ore purpureo puella bella,

Bella moribus, atque bella verbis,

Illam bella puella, tota bella.

At tu, si sapias, vt sapias profecto,

Ventis ocior illico aduolabis,

\* \* dulce mihi meisque nomen.

---



AD

EVMDEM AMICVM

---

\* \* Aonidum decus fororum,  
Et pars magna sodalium meorum,  
Fac, ad me venias, cadente sole:  
Fac, tecum veniant tui lepores,  
Tecum, quidquid habes facetiarum.  
Poscit Hesperus hic tuos lepores;  
Poscit, quidquid habes facetiarum.  
Eia! rumpe moras tenaciores.  
Te Daphnis vocat, et cupit vocata  
Te iam fusca Chloe, brevisque Phyllis,  
Et, cum Doride candida, Lycoris.  
Eia! rumpe moras; adesto, adesto,  
\* \* Aonidum decus fororum!

---

AD

## C A R M I N A

A D

P O E T A M A M I C V M  
R E S P O N S I O

**M**assica quod fuerant Venusino vina poetae:  
 Hoc mihi G\*\*\* blanda Camena fuit.  
 Vt Veientanum labris depello rubellum:  
 Sic fugio rauci carmina \*\*\*

A D

E V M D E M

*Vt Hymenaeos scriptos in priores nuptias  
 nostras exhiberet.*

**Q**uid premis argutae lusum, G\*\*\*, Camenae,  
 Et placitae laudes, gaudia nostra, Rosae?  
 Te ni poeniteat taedas cecinisse iugales,  
 Adsis, et tecum saepe vocatus Hymen!  
 Haec cupidus rogit; cupida et petit ipsa Lycoris:  
 Sic quoque si renuis, poscit amica cohors.

DE



DE  
CATULLO SVO

Sic vos, aureoli fales Catulli,  
Sic vos, aureoli fales Tibulli,  
Et cultae adfiduo legant puellae,  
Et quantum est iuuenum politiorum!  
Nam quid pulcrius est benigniusque  
Istis aureolis, Catulle, donis,  
Istis aureolis, Tibulle, donis,  
Quae vestri referunt mihi libelli?

Saluete o lepidi mihi libelli,  
Et vos terque quaterque grata dona!  
Saluete, o nimium manus benignae!  
Vestrae debeo liberalitati,  
Quod nouus lepor est meis libellis.

At vobis tunicas dabo, libelli,  
Comtas, aureolasque, splendidasque,  
Vt splendent numeri mei Tibulli;  
Vt comti bene sunt fales Catulli;  
Vt sunt aureoli meique numi.

AD

FONTEM LAUCHSTADIENSEM

DIE NATALI

I O. A V G. E R N E S T I

THEOL. D. ET PR. LIPS. CELEBER

Nympha, salutiferi fontis vetus incola, Nympha,  
 Vnica Lauchstadii, latum celebrata per orbem  
 Gloria, si qua tibi prisca est vis atque potestas  
 Pellendi diros, mortali e corpore, morbos,  
 Reddendique pedi validum genibusque vigorem;  
 Huc adsis, precibus votisque facillima nostris,  
 Conferuesque decus doctae columenque cateruae,  
 Robur et optatum reparatis viribus addas!

Sic tibi sint vndae puro de fonte perennes,  
 Arboreaeque umbrae: tibi nec citharaeque lyraeque,  
 Nec choreae defint, bacchantum more Britanno.

Scr. Lauchst. d. IV Aug. MDCCCLXXVII

VIRO



VIRO CLARISSIMO  
IO. GEORGIO ECCIO  
PHILOS. P. P. LIPS

---

Ecci, viue memor nostri, semperque beatus!  
Sit longaeua vxor tibi, sitque fimillima proles!  
Sit mens aequa tibi; sit nec sine dote Camena!  
Sit, focios inter fallaces, fidus amicus!  
Ecci, viue memor nostri, et post funera nostra!

Scr. in Thermis Carolinis m. Iul.

A. C. N. CIDIDCCLXXIX

---

FON TI · CAR O L I N O  
 I N · B O H E M I A · A Q V I S  
 C A L I D I S · E T · S A L V B R I B V S  
 I N C L V T O · G R A T I · A N I M I  
 C A V S A · O B · R E P A R A T A M  
 V A L E T V D I N E M · S A C R  
 I I I I D · I V L · C I C I O C C L X X I X

Vitricus Imperii vulgo audis <sup>a</sup>, Carole: at istas

Tu pater ob thermas <sup>b</sup> rite vocandus eris.

Tu pater aegrotis; queis grata habitacula primus

Hic inter montes, culmina celsa, dabas.

Hic, ubi tot Dryadas inter viridesque Napaeas,

Nympha salutiferam candida fundit aquam.

Fundit

<sup>a</sup>) Carolus IV. Imp. Bohemiae Salomo, Imperii Vitricus quondam dictus. Auctores eam in rem commemorare hoc loco nil attinet.

<sup>b</sup>) Sub Carolo IV. Fons non primum apertus, sed cognitus ac sua virtute celebratus fuit.

Ab eo tempore proxima Fontis accepisse incolas constat: quibus, ad firmanda coeptra atque amplificanda, Carolus iura quaedam ac libertates indulfit, anno post millesimum tricentesimum septuagesimo. Conf. *Bohuslai Balbini Miscell. Bohem. Dec. I. Lib. VII. p. 162.*



Fundit aquam, spumasque vrget feruentibus vndis:

(Mirandum Nymphae profilientis opus!)

Hic, vbi conueniunt morborum tot mala passi;

Et reparant vires femina virque suas.

Saluete, o nemora! o rupes, vicinaque rura!

Saluete, o valles, laetaque prata mihi!

Terque quaterque mihi, Fons o purissime, salue!

Fons facer, o salue terque quaterque mihi!

Tu decus omne loci: tanti tu nomine dignus

Caesaris, ac famae dignus honore tuae.

Spuma maris Venerem, genuit tua spuma Salutem:

Pulcra Venus, cedas: praestat amica Salus.

Feruidus auxilium praebes mortalibus aegris:

Tot bona, quot praebes, vix numerare queam.

Morborum genus acre domas, reprimisque dolores;

Et ventrem firmas, laetaque corda facis.

Nodosamque iubes procul hinc, procul ire podagram,

Compede constrictas nec finis esse manus.

Vidi ego confectos macie iuuenesque virosque

Et trepidare genu, et titubare gradu:

Atque animi praeferre sui mala tormina fronte,

Tristiaque in sterili lumina figere humo.

Mox, vbi per venas, per viscera, flamma vagatur,  
Fons, tua; multiplici foenore vita redit.

Et redeunt animo Charites, Rifusque Iocusque;  
Et redeunt nitidis forma decusque genis.

Nec mora: nunc sumto vidi iuuenesque virosque  
Robore longinquas ire, redire vias:

Errantesque sequi, filueftria Numina, Faunos,  
Per iuga, fidereis proximiora polis,

Vidi ego, Boiemum in morem, ductare choreas,  
Et gyros gyris accumulare c suis.

Et Tu, magne Heros, Tu, gloria summa Gradiui,  
Hadice, Auguftae praefidiumque Domus!

Illyricae domitorque orae, tutelaque gentis,  
Quam lege emendas, moribus atque bonis!

Et Tu post tantas curas, tot grandia facta,  
Poto fonte vales: o valesque diu!

O vales! belloque potens, sis pacis amator!  
Crefcat et in laudes pinguis oliua Tuas!

Plura canam: Celebrant prifci, sacra turba, poetae  
Carminibus doctas Bellerophontis aquas.

Et

c) Saltationis inter Bohemos zen vocant, h. e. in gyrum circuitatiffimum genus. Vulgo *Walcumagere*.



Et te, Carolide Fons! o Fons optime! dicat  
 Musa, et virtutem tollat ad astra tuam.  
 Tu quoque Pierio pellis de corde soporem;  
 Reddis et ingeniis vimque decusque bonis.  
 Sic te laudavit vates de gente Polona<sup>d</sup>,  
 Romuleisque modis, Sarmaticisque modis.  
 Sic tibi grandifono Germanus carmine<sup>e</sup> plaufit,  
 De patrioque dedit laurea ferta folo.  
 Ipse equidem, Mufis quondam male natus iniquis,  
 Hos tibi verficulos, munera parua, fero.  
 Da veniam vati; cui tertia labitur aestas,  
 Post bis tricenas, actaque vita fua est.

Si tamen adiicient noftrae Dî plura fenectae  
 Tempora, nec veniet mors properata mihi:

I 4.

Tentabo

d) *Raphael Comes Gorofsky*, id temporis Praefectus Golfcii. — Scripfit in laudem Thermarum Carolinarum Elegos faciles et enodes, anno quinquagefimo fecundo fupra millefimum feptingentefimum; eosque, tamquam corollas, in atrio Aedis Luforiae, fufpendit hofpes gratiffi-

mus. Adiunxit Verfionem Polonicam, ac primis fingulorum verfuum litteris nomen fuum et muneris dignitatem indicavit.

e) Poetae Saxonis, (nomen non comperi,) Ode Sapphica Theotifca, magni oris ac fpiritus, iftis Elegis ante aliquot annos fuperaddita.

Tentabo maiore modos tibi fingere plectro,  
 Teque per Aonii dicere templa chori.  
 Tum tua Lipsiaca resonabunt nomina terrae,  
 Vicinumque nemus, Golisiumque *f* meum.  
 Golisium pia dona tibi, titulosque dicabit  
 SERVATO. DOMINO. grataque ferta leget.

---

*Haec cecini, procul a Musis Pindoque remotus,  
 Saxonides patria, nomine Czechiades.  
 Dicor et Arcadicos Romae Crisenius inter  
 Pastores, claros Palladis arte viros.*

*f) Golitz, villula nostra ad me; qua parte is lucum lambit  
 Plisfam amnem sita amoenissi- Lipsiae proximum.*

---



## EPIGRAMMA GRAECVM

## LATINE REDDITVM

Τέσσαρες αἱ Χάριτες, Παφίαι δύο, καὶ δέκα Μῦσαι  
 Δερκυλὶς ἐν πάσαις, Μῦσα, Χάρις, Παφίη.

\* \*  
 \*

Bina Venus; Charites quatuor; bis quinque Camenae:  
 Omnia Dercyllis, Gratia, Musa, Venus.

\* *Rafini* hoc epigramma est, toties laudatum, imprimis a *Bou-  
 bourso*, in *Tr. de la Manière de  
 bien penser*, p. 156. Tentarunt  
 idem illud Latinis verbis expri-  
 mere clarissimi nominis poetae,  
*Aëlius Sannazarius*, Epigr. L.  
 III. 2. et *Menagius*, in *Menag.*  
 T. IV. p. 28. Verum his pal-

lam praecepisse videtur *Franc.  
 Vassfor*, cuius venustum car-  
 men legitur in ipsius *Poemati-*  
*bus* p. 118. Quod mihi quum  
 nuper aliud agenti innotesceret,  
 vehementer meae qualicumque  
 operæ, ob quamdam similitudi-  
 nem, sum gratularus. Est au-  
 tem hoc:

*Bina Venus, Musæque decem, bis Gratia duplex:  
 Dercyllis has inter, Gratia, Musa, Venus.*

PROVERBIA GERMANICA  
 VERSV LATINO REDDITA  
 AD AMICVM

---

*Hoc erat in fatis*<sup>1</sup>. Quo ducunt fata, sequamur!

Non vis? inuitum te tamen illa trahent.

*Quod ferri durum est, forsan tibi proderit olim*<sup>2</sup>.

Abfcondit densa nocte futura Deus.

*Fata viam inuenient*<sup>3</sup>: sequitur pax bella, quiesque;

Diriget et nostram blandior aura ratem.

Haec tu maiorum laudas benedicta frequenter;

Haec tibi dant animum semper habere bonum.

---

<sup>1</sup>) *Es hat so seyn sollen.*

<sup>2</sup>) *Wer weis, wozu es gut ist.*

<sup>3</sup>) *Es wird schon kommen.*



## AD ROSAM

---

O decus florum, rosa, nata Paeſto,

Candida ſeu tu gremium puellae,

Seu petis dextram, magis aut foueri

Pectore geſtis:

Quo iuuat, vadas, Venere haud iniqua;

Plena iucundi placeas odoris,

Sentiunt qualem per agros Sabaei

Flore beatos.

---

CARMINA  
 NINAE  
 VENVSTIS. CATELLAE  
 VIXIT MENSES VII  
 OB. A. D. IX. KAL. APRILIS  
 AN. CIDIÖCCLVIII  
 L. M. Q. P

---

**N**ina fui, nuper domini permagna voluptas,  
 Delicium dominae, Nina catella, meae.  
 Est aliquid claro censerī sanguine patrum:  
 Nec de plebe genus vitaeque nostra fuit.  
 Candida contigerat cutis, et mens candida: saepe  
 Laudati mores ingeniumque meum.  
 Seu me dira manus rapuit, seu flebile fatum:  
 Heu, mors tam tenerae venit acerba mihi!  
 Conspergor lacrimis dominae; doluitque peremtā  
 Noster herus, fatis ingemuitque meis.  
 Necdum visa mihi tumulum dedit hospita tellus:  
 Sic te, terra, nouis ver tegat vique rosis.

---

MVSIS



## MVSIS VALEDICIT

Ite igitur, tenues, quondam mea cura, Camenae!

Et tu, blanda nimis Calliopea, vale!

Phoebe, vale, valeantque lyrae citharaeque Dearum,

Et bifidi valeant culmina sacra iugi!

Sint alii, quos pleetra iuuent, quos laurea ducat,

Laurea, Castalii gloria summa chori.

Me quoque Pieridum, vixdum puerilibus annis,

Me quoque Apollineae ceperat artis amor.

Tum mihi praecipuum studium legisse libellos,

Sive, Catulle, tuos, sive, Tibulle, tuos.

Et noctu atque die diuinam Aeneida volui;

Gestavi et gremio te, Venufine, meo.

Teque, o infelix teneri praeceptor amoris,

Ipsa dilexi tum prope luce magis.

Saepius Augusti tecum defleuimus iras:

Saepius et nobis lecta Corinna fuit.

Ex illo, ingenii modulum tentauimus ipsi:

Lusit et Aufoniis nostra Thalia modis.

Prima tibi tulimus paruae munuscula Musae,

Porta, iuuentutis fida magistra meae.

Quae,

Quae, licet exiguo cultu, placuisse videbam:  
     Primitias Cereri sic placuisse ferunt.  
 Inde ego Pieriae laudis delusus honore:  
     Inde ego carminibus tempora plura dedi.  
 Tempora subdixi studiis grauioribus olim,  
     Docta Minerua tibi, sancta Themisque tibi.  
 Nec me tam Sophies mysteria nosse iuuabat,  
     Oceanique vias, sidereumque polum:  
 Quam Phoebi lustrare sacros Helicone recessus,  
     Pegaseasque vndas, Castaliumque nemus.  
 O quoties cecini magnorum facta virorum!  
     Te, Loffi, patriae gloria prima meae!  
 Et cecini Aonidas, formosaque numina, Nymphas,  
     Et vos, o fidae pectora amicitiae!  
 Iam satis est, Musae, satis est luisse tot annos:  
     Iam satis ad vestros est saluisse modos.  
 Iamque lyras citharasque, ac cetera ludicra, linquo;  
     Ludicra temporibus sunt minus apta meis.  
 Ite igitur, tenues, quondam mea cura, Camenae!  
     Et tu, blanda nimis Calliopea, vale!



AMICORVM

AD

IO. GOTTL. BOEHMIVM

CARMINA



AMICORVM  
AD  
IO GOLF BOEHMIVM  
CARMINA





---

IO. ELIAE SCHLEGELII  
AD  
IO. GOTLOB BOEHMIVM  
IVRISPR. IN ACAD. LIPS. CVLT  
O D E

---

**T**e rara quamvis otia mulceant,  
Boehmi, sereno carmine nubilos  
Distinguere interdum labores,  
Et faciles refouere Musas,

Curabis. Ille est impius in Deos  
Frustra secundos, qui cithara potens  
Spreuit monentem corde Phoebum,  
Atque sacros domitavit ignes.

Tu seu Latina, seu potius lyra  
Germanus altos des patria modos;  
Cedas laceffentis Camenae  
Blanditiis, et ames amantem.

---

AD

BOEHMIVM SVVM

FRID. GOTHILF FREYTAG,

SCHOL. PROVINC. PORT. R.

Esse tui similem te semper, Amice, fateris,

Ingenii quoties nobile condis opus.

Seu grauter dicis; seu pangis amabile carmen;

Omnia melliflui fluminis instar eunt.

Quodsi nostra viros similes progigneret aetas,

Secla quis Augusti mox reditura neget?

D. VII. Id. Ianuar. CIOIDCCCL

FRATRI



F R A T R I  
V X O R E M D V C E N T I  
I O . E H R E N F R . B O E H M I V S

A . R . S . C I C I O C C L I V

---

**B**oehmi, cui nimium diu  
Mater bella mouet faeua Cupidinum,  
Quem Thoruestia mutuis,  
Per duras hiemes, vssit amoribus,  
Quae mens est hodie tibi?  
Quum, lenis precibus iungere pectora,  
Hymen vota tua expleat.  
Iam desiderium vanaque somnia  
Non somnos adiment breues:  
Nec, furgente nouo lumine vespero,  
Aduersam Venerem tibi  
Flebis, nec fidibus tristitia diuides.

K 2

Felicem

Felicem ter et amplius!

Passa impune licet cui dare brachia

Ceruici roseae, et licet

Non furtiva genis imprimere oscula.

O! si me Superi boni

Vellent consimili iungere copula,

Boehmi, pars animae meae,

Sublimi quaterem sidera vertice.



CRISENIO BEROENSI  
GER. NICOL. HEERKENS

*Super noua Clementis Ianitii Poematum  
editione.*

---

Ianitium fratris legi: fraterque, bonusque  
Sarmata, non aliter, quam tua scripta, placent.  
Felix Criseni, quem Christius addit amicis;  
Addit et Arcadibus Roma superba suis.  
Sed licet hinc felix: longe felicior inde es,  
Affecta Musarum quod tibi frater adest:  
Quod tibi nata domi Musa est, cui fidere Musa,  
Cui tua gratari possit, et aegra queri.  
Quum te Dî facerent Amphiona, gratia facta est:  
Sed maior, Zetho quum data plectra tuo.

---

BOEHMIO

CARMINA SVA

ITERVM PVBLCANTI

CHRISTIANVS CRVSIVS

ELOQV. P. P. VITEB

**I**lle tuus vates, feci noua gloria, raro  
 Boehmius exemplo, Saxonis ora, docet,  
 Carmina vinc̄ta modis quantum numerisque Latinis,  
 Commendet puris auribus ipsa Charis.  
 Vix Charis in culto merito laudata Sabino,  
 Lotichioque caput quae modo celsa mouet.  
 Dicque, ait, an nostras vllum finxisse putasses,  
 Phoebe, manus, frontem cui tua ferta comant:  
 Ex quo Roma duos, fati vrgentibus orba,  
 Moesto composuit funeris officio;  
 Inde foco assiduo ditem lucente Tibullum,  
 Hinc qui Callimacho proximus ire parat:  
 Hunc nisi de multis selectum noster alumnum  
 Castalidum lucis inseruisset amor?

Maece-



Maecenas superas si forte reuiferet auras  
Diceret huic blando lumine: Noster eris.  
Augustusque iterum caperet si munia vitae,  
Huicce Palatinam panderet ille domum.  
Loffius at nostrum dignatus amore poetam,  
Quid tibi, Maecenas, linquit in orbe loci?  
Incole tu fedes, nigra inter stagna, filentes:  
Huic te maiori tam pia Musa placet.  
Hic patriae columen, castis spes certa Camenis,  
Virtutis lumen, nobilitatis apex:  
Augustique sui fidissima dextera, limen  
Artibus ingenuis sponte patere iubet.  
Ergo hinc progresso quod publica fama secundis  
Plausibus adfurgit, cum ratione facit.  
Iudicium meruit maius meliusque poeta,  
Quam vel Maecenas arbiter ipse ferat.

---

IO. GOTL. BOEHMIO  
 CARMINVM SVORVM  
 EDITIONEM PARANTI  
 IOSEPH. BARSOTIVS P. A.

---

Credideram, euerfis Graecorum rebus, ad Urbem,  
 Quae septem late dominatur collibus, omnes  
 Arcadici nemoris veteres migrasse colonos:  
 Atque ibi cum Phoebos Musas, Helicone relicto,  
 Mansuram aeterno fixisse in tempore sedem.  
 Quo magis, his olim immixtus Pastoribus ipse,  
 Non semel attonitus cantantes auribus hausi  
 Inter sese, atque Hetrusco pede, siue Latino,  
 Certatim vario mulcentes aëra versus  
 Haec mihi dulcia adhuc pertentant gaudia pectus.

At postquam, quae culta paras submittere praelis  
 Carmina Plisiacis, legi, mellite Crifeni:  
 Postquam Menkeni praeclara poemata volui,  
 Et quae victuris chartis modo Christius addit:  
 Hic etiam sensi doctas habitare sorores,  
 Hic etiam dulci modulari carmen auena;

Nec



Nec frigus, crebrasque niues, obſtare poetis,  
Quo minus hic etiam cingant ſua tempora lauro.

Tale tuum certe reſonat mihi carmen ad aures,  
Funera ſeu ducis, viduo et ſolatia lecto  
Adfers dulciloquus, qualis quum Thracia mater  
Plorat Itym in filius, crudeli morte perentum:  
Seu libet heroum laudes, et facta referre,  
Tunc conferre pedem propius cum vate videris,  
Qui tam magnifice Aeneam curuare querelis  
Nititur, et memorat ſpeluncae gaudia furuae.  
At ſi Thebanum plectrum percurris, vt ingens  
Pindarus, haud medio certamine deficiſ, vt qui  
Magna loqui oblitus: ſed ſemper talis ad imum,  
Qualis ab incepto procedis diuite vena.

O ſi, quos multos vrtica acroamatis vrget,  
Hoc metirentur modulo ſefe: alma Poefis,  
Sueta Ducum ſedes colere, et penetralia Regum,  
Non humilem intraret, lauro viduata, tabernam;  
Plurimus Anacreon fieret ſeu veſtis amicae,  
Aut ſtrophium, aut circum baccatum colla monile;  
Non pueris elementa daret, tabulasque dolentes  
Ad dominam ferret, quas diues ſcripſit amator.

Illuc,

Illuc, vnde abii, redeo: tibi plaudo, Criseni,  
Perge, inquam, famam adquires, quae trans mare nomen,  
Quaeque tuas laudes diffundat vbique, et honorem.  
Interea, duce te, nostrorum gloria crescit  
Inclita Pastorum, quos orbis nouit vterque:  
Te duce, Plissiacum littus non inuidet umbris,  
Docte Academe, tuis, sed prisca aequat Athenas.

---



BOEHMIO SVO  
D. GOTFR. MASCOVIUS

IVR. N. ET G. PROF. P. LIPS

---

Amate Musis, Boehmi, amate Gratiis,  
Torporis omnis inscie!  
Cantus refundens pleniore iam manu,  
Iucunda defers praemia.  
Tibi ora finxit, imbuitque nectare  
Latina Siren, Christius.  
Te Roma censet acres inter Arcades,  
Volasque per mundi plagas;  
Barfotus et laudat, canitque Heerkenfius:  
Tibique se blande ingerunt.  
Nam vena teneri te tenet Propertii,  
Catulliani tum fales:  
Et quidquid actas aurea illa protulit,  
Auro micante purius.  
Hinc prosequor te laudibus laetus meis,  
O cura Caelitum, o amor!  
Dicens: perennis fama te, Boehmi, manet,  
Ad alta furgis fidera.

---

BOEH

CARMINA  
 BOEHMIO  
 HISTORIOGR. SAXONICO RECENS  
 RENVNCIATO  
 CAR. ANDR. BELIVS  
 POES. PROF. ORD. LIPS

---

**M**acte ergo virtute tua! Tibi regia, Boehmi,  
 Obtulit Augufli praemia digna manus.  
 Scripferat Henrici virtutes Hornius: idem,  
 O Friderice, animum dixit et arma tua.  
 Huic quis fuccedat? Qui te, pulcerrima Ruta,  
 Scripfit \*, Saxonicae gloria, Ruta, Domus.  
 Rutam, cui dulces olim rifere Camenae,  
 Suavi Lotichius carmine ad aftra tulit.  
 Lotichii o! eadem laurus quae tempora obumbrat,  
 Mox eadem frontem vinciat illa tuam!

\*) De origine vera Rutae Sa- xonicae Lib. Lipf. 175. 4.

---



LATINA 157  
BOEHMIO  
CAR. HENR. GEISLERVS  
VNVC IVR. PVBL. PROF. MARB

---

**S**i vacat, et veterem licet instaurare querelam,  
Accipe, quae lacrimans Musa, Patrone, canit:  
Dumque ego flebilibus numeris et carmine moesto  
Funera Freytagii prosequor, aequus ades.  
Ecce etenim lux illa redit, redit atra, nefandis  
Auspiciis, quae nos nil, nisi flere, iubet.  
Occidit hac olim, morbo confectus et annis,  
Freytagius, sacri luxque decusque chori.  
Occidit, et secum lusus ac gaudia Musae  
Traxit, et ingenii, si qua fuere, mei.  
Heu mihi! quam durum est, tanti meminisse doloris,  
Atque iterum luctus ingeminare pios.  
O pater! o nostrae quondam tutela iuuentae!  
Nunc dolor et lacrimae! vix sibi constat amor.  
Plurima profiteor tibi me debere, tuumque est,  
Quod ludit numeris nostra Thalia suis.  
Quod fuit Aeacidæ Chiron longaeus Achilli;  
Hoc mihi, dum licuit, care magister, eras.

Et

Et iam, care Senex, nobis tua nomina profunt,  
 Boehmiadaeque tui conciliatur amor.  
 Ergo age, seu liquidum colis aethera, siue quietas  
 Umbrarum fedes Elysiūque nemus:  
 Da, precor, hoc lacrimis, et, si modo sensus inhaeret,  
 Huc ades ad gemitus, nobilis umbra, meos.  
 Me, procul a patria, gremio tenet hospita tellus,  
 Hic, ubi caeruleam Plissa volutat aquam.  
 Ast ubi me reducem patriae fors prospera sistet,  
 Natalisque dabit cernere rura soli:  
 Tunc teneras, ad busta, rosas violasque tepentes,  
 Et cum carminibus florea ferta feram.  
 Interea hos elegos, genialis carmina Musae,  
 Accipe, et aeterni pignus amoris habe:  
 Ossa valet Viri, gelidoque inclusa sepulcro,  
 Molliter in facili deinde cubetis humo!  
 At tibi, Boehmiade, Musarum gloria, nostri  
 Maxima pars animi, quid pia Musa ferat?  
 Per sacros latices, per templa poeseos, oro,  
 Pieriasque Deas, Castaliumque nemus:

Per



Per patriam, fenosque olim tibi culta per annos

Arua \*, et carminibus concelebranda tuis :

Per, si quid valeant, manes, et amica Magistri

Nomina, perque tuum, numina nostra, caput :

Da mihi te facilem, nascentemque adspice vatem,

Crescat et in manibus Musa tenella tuis.

Sic ego perpetuum rerum pars parua tuarum,

Tutelaeque ferar munus opusque tuae.

A. D. VII. Id. Iul. A. R. S. CIDCCCLXII

\* Schola Provincialis Porten-  
fis, prope Numburgum, in qua  
Bochmius vixit sex annos inte-  
gros, carus praeceptoribus suis,  
praecipue Freytagio, Viro Do-  
ctissimo.

BOEHMIO

STRENAE

CAR. HENR. GEISLERI

A. R. S. CIDIDCCLXIII

**P**oscimur: ad veteres redeas haud lenta labores,  
 Et mihi, si quid habes, carmine Musa refer!  
 Haecenus Aoniae latebris abscondita filuae  
 Conticuit, vario muta fragore, chelys.  
 Iam repetas faciles chordas, defuetaque tangi  
 Plectra moue, numeris consona plectra tuis.  
 Ianus adest, referatque nouum feliciter annum;  
 Optimus, exacto tempore, Ianus adest.  
 Ergo age, Boehmiadae subeas, dilecta, penates,  
 Et pia ser docto vota legenda viro.  
 Est animus rerum prudens, qui semper honorem  
 Muneris exsuperat nobilitate sua.  
 Seu tu nosse velis aeui monumenta prioris;  
 Omnia praeteriti temporis acta patent:  
 Seu cupias audire fides ad verba mouentem;  
 Orphea vix veterem sic cecinisse putes:

Carmine



Carmine seu Flacci decurrat, siue Maronis,

Siue, Catulle, tuo, siue, Tibulle, tuo.

Seu faciem spectes, animus spectatur in ore;

Excubat in teneris gratia multa genis.

Quid loquar, vt, placidus Musis, Phoebique sacerdos,

Ipse fuit venae duxque comesque tuae?

Ipse Viri probitas, vsu tibi cognita longo,

Et tibi Vir dudum cognitus ipse fuit.

Adplicuit facilem cantantis vocibus aurem,

Ille, sodalitiū gloria prima sui.

Est aliquid, tanto non displicuisse poetae,

Et numeris vatem detinuisse suis.

Ergo age, solue moram, fer munera pauperis agri,

Carmen, et ad faciles fer noua festa Lares.

Carpe viam, positoque metu, dic nostra Patrono,

Et bona sollempni suscipe vota die.

Sic viuat; sic ille suos seruetur in annos;

Sic videat faciles in sua vota Deos!

Sic habeas placidum; sic experiaris amantem;

Sic noua Patrono carmina saepe feras.

Certe ego, cantanti fuerit si dexter Apollo,

Saepe ad numeros te, mea Musa, sequar.

Boehmiadaeque canam venturis nomina fecis,

Carminibus dabitur si modo vita meis.

L

Atque

Atque vbi me patriis fissent pia numina terris,  
Plurimus in nostro carmine semper erit.  
Et filuae noscent, noscent Salaïdes vndae,  
Atque elegis noscent conscia prata meis.  
Ipse etiam veteris Sala haud oblitus alumni  
Plaudet, et in tanto nomine surget aquis.  
Surget aquis, choreasque inter mea carmina ducent  
Naiades, et nudo Gratia trina pede.  
At tu, Musa, precor, vadas, et ad ora Patroni  
Haec mea, ni graue sit, prodere verba velis:  
Geislerum tibi trado meum: sit semper, vt optat,  
Ille patrocinii pars quotacunque tui.

---



## EVSEB. TRAVG. EBERTVS

V. D. NVNC APVD HAYNENS. M

**D**ivinitias alii, nostri munuscula ruris

Nos tibi, Boehmiade, carmina nostra damus.  
Nec longinqua sequar. Geminae tibi vota forores,  
Vota tibi Clio, vota Thalia ferunt.

Adspice certantes: labor est certantibus vnus:  
Scilicet, vt nectant debita ferta tibi.

Et prior, o nostris, inquit, spes plurima rebus,  
O animae requies dimidiumque meae!  
Boehmiade, cui tota patet, mea cura, Vetusitas,  
Et cui Mnemosynes templa recludit Honor!

Sic te Phoebus amet! Victuris tradere chartis  
Sic patriae possis fata vicesque tuae!  
Felicem videas felix faustumque redire

Hunc Iani patriae saepe tibi que diem!  
Altera, dum plenis manibus tibi lilia spargit,  
Vt rata sint, opto, vota fororis, ait.

Me quoque (nam memini) quondam sibi iunxit amore;

Testis erit, quae me nunc quoque Porta fouet.

O! quoties illic nemorum securus in umbra

Illius in laudes ingeniosus erat.

O! quoties illic, studio fallente laborem,

Aufoniis cecinit gaudia nostra modis.

Fortunate, meis ergo tua gloria donis

Crescet, amicitiae spesque decusque meae.

Vtque olim, Arcadiae, gemmantibus undique ripis,

Riuulus in pelagi laetior ibat aquas:

Sic te, tranquillis tacite labentibus annis,

Arcadico excipiat more Senecta fenem!

---

Lipf. Kal. Januar. CIOIOCCCLXIV



B O E H M I O  
C. H. GEISLERVS

Qui modo Pierio latitans sub monte silebam,  
Desuetae repetam fila canora lyrae:  
Imbellesque iterum laetus motabo lacertos,  
Et caput ignaua tollere nitar humo.  
Ergo ades, o! nostrae decus indelebile vitae,  
Et stimulos menti protinus adde novos.  
Nil sine te magnum Musae, nec amabile quidquam,  
Moeſta mihi sine te pleetra fidesque ſonant.  
Aſt vbi peſtoribus tu te, Cariffime, noſtris  
Inferis, in numeros carmina ſponte fluunt.  
Tu requiem feſſo das et ſolatia vitae,  
Et ſtudiis praefſtas otia grata meis.  
Quanta Viri virtus, quantum dedit ardua laudis  
Gloria, quam vario nomen honore nitet!  
Nil adeo mortale ſonas: tibi ſerta Poloni,  
Serta tibi Sueci, munera iuſta, ferunt.  
In te ſuſpiciunt Dani, aſſurguntque canenti,  
Muſarumque decus deliciasque vocant.

Fortunate operum, quem praemia tanta laborum,  
 Post cineres etiam seraque fata, manent!  
 Ipse equidem laetus, tua per vestigia, Musas  
 Persequar, et tecum sacra Deasque colam.  
 Atque vbi plura meae contingent tempora vitae,  
 Nec mors ante diem nos odiosa vocat:  
 Tum tibi Mygdonio statuam de marmore signum:  
 Hic labor, haec nostri summa laboris erit.  
 Est vetus et multos aedes celebrata per annos:  
 Fama tulit, Charites hanc adamasse Deas.  
 Inter Lotichios, et magno nomine Bambos,  
 Hic tua praecipuo stabit imago loco.  
 Inscriptusque legar seclis pia causa futuris,  
 Notus et, hoc saltem marmore, semper ero.

Lipf. A. R. S. CJDIÖCCLXV



LATINA  
BOEHMIO  
EDITIONEM  
ACTORVM PAC. OLIV  
GRATVLATVR  
C. H. GEISLERVS

---

167

Qualis ab Aeolio rediit quum nauita ponto,  
Figit in exiguo debita vota Lare:  
Talem thuricremis te vidimus, optime Boehmi,  
Et liba et violas imposuisse focis:  
Exactique operis Diuis suspendere vota,  
Et placare sacri thuris honore Deos.  
Ipse ego cum reliquis laeto tibi carmine plaudam,  
Et tecum Laribus pingua tura dabo.  
O Boehmi! o nostrae non vltima gloria Musae!  
Quam tibi vim, studiis dexter, Apollo dedit?  
Tu precibus reuocas, tumulisque exire profundis  
Exfangues animas in loca summa iubes.  
Iamque iterum viuus, Paci, et tu, maxime Gardi,  
Tuque, o Lescinidum lux nitidumque decus\*.

L 4

Viuus,

\*) Pacificatores Oliuenses, iecit Boehmius Actis P. Oliv.  
quorum et ceterorum elogia ad-

Viuis, hyperborea pacator cognite terra,  
     Viuis, et aeterna laude superstes eris.  
 Cuique olim tellus omnis prope plena laboris,  
     Nunc quoque perpetuum Lifola notus erit.  
 Et Felkersfamii capto pro Principe curas  
     Posteritas olim, nec sine laude, leget.  
 Nec te, Parsbergi, noctis teget umbra supremae,  
     Laudesque egregias occulet atra dies.  
 Aeternum uiuent omnes, super aethera noti,  
     Nec perimet tantos temporis ira viros.  
 At tibi, noster amor, quae praemia tanta laborum?  
     Quam laudem a fera posteritate feres?  
 Te Franci Suecique colunt; atque Itala tellus  
     Pulsantem tenero pollice plectra stupet.  
 Te Zalufkiades, gentis lux prima Polonae,  
     Diligit, et Musas adiuuat ipse tuas.  
 Quin etiam placido Bernstorffius adnuit ore,  
     Auspiciumque bonus dat tibi grande viae.  
 O! si Mascouius \* tantos modo nosset honores,  
     Et studii fructus carperet ipse sui.

Felix

\*) Io. Iac. Mascouius, Boehmii in Historia tractanda praeceptor.



Felix discipulo! felix te quisque magistro,

Qui sciat, ingenii sint bona quanta tui!

Certe praeteriti dum temporis acta legentur:

Hoc etiam digna laude feretur opus.

Quodque tot eximiis modo das animabus, id ipsum

Et tibi, post obitus feraque fata, dabunt.

AD

IO. GOTL. BOEHMIVM

SVPER MORTE

DVLGISIMAE CONIVGIS

ELEGIA

C. H. GEISLERI

A. R. S. CIDIOCCCLXVII

**C**oniugis ereptae tumulo dum moestus inhaeres:

Omnia solliciti signa doloris habent.

Sistitur ante alias omnes vxoris imago,

Agnoscisque tuae gaudia prisca domus.

Talis erat, placida gestans in fronte pudorem,

Aegra, sed ingenuis non minus apta iocis.

Hic fuit, hic mecum socialia brachia iunxit:

Hic mihi colloquiis gaudia saepe dedit.

Hoc saepe expectans mihi prodiit obuia vultu:

Sic facta est abitu tristior illa meo.

Haec tibi cum subeunt, plorant tecum omnia circum,

Et nimis in lacrimas officiosus amor.

Illa quidem dulci longe dignissima vita,

Deserit, ante diem, non reditura virum.

Ast



Ast is, Threïcium superans moerore poëtam,  
Coniugis ingeminat tristia fata suae.

Et modo nequidquam cantu solatus amorem,  
Ducit inexhaustis questibus vsque diem.

Aut fletu exfatians animos et pectora planctu,  
Ad caelum viduas porrigit ille manus.

Nempe quis immensos dicat solantia luctus  
Verba? Quis humentes tergat, vt ante, genas?

Nulla tibi coniux, nulla est; fuit illa, Criseni:

— Hic cara infelix contegit ossa lapis.

Exiit ille hominem, gestatque in pectore ferrum,

Qui videat siccis talia luminibus.

Noueris et mundi causas, et stamina rerum,

Atque scias ortus, interitusque scias:

Vsque adeo mortalis eris, vt, talia cernens,

Luminibus lacrimas continuisse neges.

Plange ergo, ac precibus placans et carmine manes,

Humecta lacrimis coniugis ossa tuae.

Plange, nec abstineas tanto indulgere dolori:

Nam dolor et lacrimae pectora magna decent.

Illa tuos meruit gemitus, quae sola voluptas,

Et fuit in solis quae tibi turba locis.

Ipsa viro felix erat; at tu coniuge felix:

Par amor, et studium par in vtroque fuit.

Non

Non aliter moriens, quam quum tibi proderet ignes,  
Te coluit, rara conspicienda fide.  
Quid non fecit amans? quid non moribunda loquuta est?  
Quid non deficiens lingua precata: Vale?  
Quin etiam media cum lumina morte natarent  
Languida, detinuit te moriente manu.  
Forfitan et, lenibus si sensus inhaereat umbris,  
Respiciet lacrimas nunc quoque laeta tuas.

---



BOEHMIO  
INTERVM MARITO  
FRID. VOLG. REIZIVS  
PHIL. P. P. LIPS

ANNO MDCCLXXI

O quem suis amans amantem nuptiis  
Hodie beat Richteria,  
Boehmi, quibus perfundor, hanc cernens tuam  
Felicitem, gaudiis!  
Nam tantus omni tempore fauor me tuus  
Amplexus est, vt quae tibi  
Fortuna cunque veniat, eius ego pares  
Percipere sensus debeam.  
Sed ex tuae felicitatis partibus  
Et plurimis, et maximis,  
Haec vna praeter ceteras animum tenet,  
Sacroque digna carmine est:  
Quod, quamlibet praecellat et formae bono, et  
Potentis auri copia,  
Nil tamen habet Richteria suo pectore  
Nec pulcrius, nec ditius.

Ex

Ex hoc redundat fonte solo perpetim

Iucunditas vberrima.

Vt enim sapit cuiusque mens, ita praemium

Vitae fruendum illi datur.

Vbi animus aequus defuit, nulla vnquam homo

Laetatus est in re fatis.

Ergo quid optandum relinquitur? Nihil,

Nisi Vita, Sanitas, Vigor.



SVPER  
BOEHMII AC RICHTERAE  
NVPTIIS  
RELATIO  
EX PARNASSO

---

Ecquid scitis? Apollo dixit Aulæ,  
Aulæ nempe suæ venustiori.  
Ecquid scitis? ait: mei sacerdos  
Magnus ille Chori, meique Regni  
Summa gloria, Boehmius, beatam  
Istam diuitiisque gratiisque,  
Istam suauiloquamque comtulamque,  
Pulcri Golifii, domusque pulcræ,  
Ipso Golifioque pulcriorem,  
Richteram, dominam, suam vocabit  
Laetus nunc dominamque coniugemque;  
Atque illa hunc dominumque coniugemque,  
Rursus laeta suum. — Camena plausum  
Verba ad hæc, simul et Charis dedere.

Tum

Tum sic est Charin alloquuta Musa:  
 Tristes, o bona! deseramus umbras  
 Pindi, et Golisium petamus ambae.  
 Tu bene in dominae sinu latebis;  
 Et me Boehmius in suo fouebit.

Feliciter!



## BOEHMII

SECUNDIS NVPTIIS

D. G

I O. G E. E C C I V S

PHIL. P. P. LIPS

**I**nter quas fuerat numquam lis vlla sorores,  
 Audita est aliquo tempore magna fatis.  
 Calliope inter se rixas Clioque ferebant:  
 De te tum, Boehmi, lis ea tota fuit.  
 Illa querebatur, qui dudum iure fuisses  
 Ipsius, hanc te vltro furrupuisse sibi.  
 Non, inquit, cedit, foror, hoc tibi semper inultum;  
 Quum dolor attinget te quoque, tempus erit.  
 Tempus erit, mihi crede, aequo quo tertia quaedam  
 Hunc tibi furrupiet, par referetque pari.  
 Nil fit tale diu. Poterat mentita videri  
 Musa: sed en! subito vera reperta fuit.  
 En, iam tempus adest, quo te Richteria, Boehmi,  
 Surripuit sponsum dulcis vtrique Deae.  
 Surripuit, dixi? Minime. Ne plangite Diuae!  
 Vester erat: vester, credite, semper erit.

M

Immo

Immo noster erit: nam me quoque semper amabat,  
Et quem non, quaeso, hic semper amandus amat?  
Hinc vox haec populi est: hinc vox etiam illa Sophorum:  
Dignus vir sponsa hic, sponsaque digna viro.  
Vivite felices! Redeatque haec candida vobis  
Candidior semper, candidiorque dies!



LATINA 179  
BOEHMIO  
DOMINIVM GOLISII  
PIE GRATVLATVR  
IO. LVNDBLAD  
SVEC

---

Quem cano iunctum domini Larumque  
Certus ornatum, dubius tenerer,  
Palma disiuncte quibus arroganda  
Iure veniret.

Verticem caelo domus entheata \*  
Tollit, augustas imitata sedes  
Principum, quas Ars, Superumque finxit  
Daedala virtus.

Pascit adspectum subeuntis intro  
Scena terrarum, tenerisque mundi  
Quidquid a cunis iuuat heluanti  
Cernere visu.

M 2

Fingitur

\* Villa Golifana.





Vilis argenti nitor aestimatur,  
 Quem leuat splendor venerandus auri:  
 Qua pedem ponas, oculos fatigat  
 Vndique fulgor.

Lene sed spirant Zephyri per hortos:  
 Pars voluptatis niueis ab oris  
 Missa Diuorum vocat: exeamus  
 Visere rura.

Hic meae vitae numerare luces  
 Quum veter, gratum dare tam benignae  
 Cespiti terrae foret ossa, quum mors  
 Soluerit artus.

Arua Pomonae sacra suauae fragrant,  
 Melleas ori segetes datura:  
 Chloris et risum roseis labellis  
 Dicolor edit.

Imminent siluae nemorumque saltus,  
 Nubibus celsis capita inferentes:  
 Subter his coetus hilarique lusus  
 Frondis in umbra.

M 3

Praeter

Praeter argutis vacuas euntium  
 Alites aures modulis morantur:  
 Musico luci resonant canoros  
 Murmure gestus.

Nec potest annis sibi temperare,  
 Quem reor tardis agere hinc retentum  
 Flexibus cursum: socios fufurros  
 Consonus addit.

Pluribus Villae titulis superba  
 Dignitas crescit, dominante Boehmio,  
 Cuius illustris super alta viuit  
 Sidera fama.

Lipfici Pindi columnen decusque,  
 Fax poetarum, Themidis fatelles,  
 Phosphorus Clidus, Heliconas auctor  
 Arcadas inter;

Maximos doctus meritis adire,  
 Inclutis claret populis amicus:  
 Nomen Aularum memorant Virumque  
 Puncta Potentum.

Qua



Qua riget plaustrum glacialis vrsae  
 Plaustribus certant Scythici Penates:  
 Fronte Gustauus \* meus hunc serena  
 Spectat alumnum.

At licet summo parilis coruscet  
 Usque, communis graditur vel imo,  
 Comis affatu, faciliq[ue] semper  
 More decorus.

Pectoris plenus miseros iuuare  
 Gaudet. Hic rebus data spes iniquis:  
 Hic meam lenis patrio recepit  
 Littore nauem.

Qui fide sponsa noua fraena adoras,  
 Moribus numquam violanda foedis,  
 Grex Colonorum, tua, ter beate,  
 Si bona noris!

Mente deuota pia thura ferre, et  
 Rite gratari Superis memento:  
 Ad fores Aedes iacet alma, quae te  
 Talia poscit.

M 4

Floreat

\* Gustauus III. Sueciae rex, a quo Boeckmius donum tulit in-  
 signe, numisma aureum.

Floreat fundus, plaga dum manebit  
Orbis immensi : neque dura Olympi  
Vlla tempestas noceat : secundus  
Depluat auro!

Quod petet votis herus, adsequatur!  
Integer vitae tenor enitescat!  
Aeolis fucci veniant, et aucta  
Nestoris aetas!

---



IO. GOTL. BOEHMIO  
 RECUPERATAM  
 LYMPHARVM LVCHSTADIENSIVM  
 SALVBRITE VALETVDINEM  
 GRATVLATVR  
 ELEGIA PIETATIS INTERPRES

---

**I**lla ego, quae dolui Veneris Puerique pharetram  
 Euerfam, et lacrimis oscula mixta piis;  
 Flebilis indignos Elegeia sparfa capillos,  
 Pallida candentes purpureasque genas;  
 Dum circumuolitans pennis mors atra coruscis,  
 Incubuit cineri, blande Tibulle, tuo;  
 Laetitia interpres, oculosque decora nitentes,  
 Audiar in templis, quae tibi, casta Salus,  
 Dis nemorum sanctis, Lymphisque salubribus vitro  
 Exstruxit patriae Duxque Paterque piae:  
 Non ebore atque auro, Poenisque superba columnis,  
 Diuinae, augustae simplicitatis opus.  
 Siluula plena Deum, salue! Dryadesque puellae  
 Saluete, ingenui candida turba chori!

M 5

Non

Tuque facer salve, nemorales teste tenebras,  
     Fons, cui Bandusii murmura blanda silent.  
 Non fera bella, metus, non Colchica monstra, ducesque  
     Crudeli extinctos morte, Maronis opus:  
 Blanditias Veneris, trepidantia pectora, mortis  
     Horrorem excussum, fractaque tela canam.  
 Te, tua iussa loquar, proles Iouis ardua, Clio,  
     Gloria quam sequitur, Lausque Decusque comes.  
 Cui memores rerum fastos, lituumque canorum  
     Phoebus, et auratam reddidit ipse lyram.  
 Ah, quoties oculos furtim suffusa madentes,  
     Solaque Maenaliū despatiata nemus!  
 Ah, quoties moribunda tuum percussit imago  
     Pectus, et ingenui pallor in ore viri;  
 Qui nemoris templique tui penetrare sacerdos  
     Instaurat, lauru sanctior ipse sua;  
 Lauru, cui parcit fulmen Iouiale trifulcum,  
     Parcere morborum non potuere chori?  
 Vsq̄ adeo nihil est, veterum monumenta virorum.  
     Armaque contiguīs confocianda poplis,  
 Fortunae ludos, belli causasque vicesque  
     Dicere, et ambiguas Principum amicitias;

Splen-



Splendida, sed moritura tamen, memorare tropaea,

Rerum indagatrix ni tua Musa vetet;

Scrutari leges, populorum iussa potentum,

Armaque verbosi non temeranda fori;

Sanc̄tas, Roma, tuae molis lustrare ruinas,

Lustrare Arcadicum Thessalicumque nemus;

Non moritura pium cecinisse poemata vatem,

Verbaque Deliacis concilianda modis.

Ast aliter visum Parcis, Cererisque puellae;

Consilii aliter, blanda Hygieia, tuis.

Quod dirum vulnus manet immedicabile fonti,

Deliciae Augustae, lymp̄ha canora, tuo?

Firmasti fractum iuuenili robore corpus,

Membraque fatali debilitata malo.

Diffugere toro Luclus, Pallorque Tremorque;

Coniugis et lacrimae conticuere piae.

Miraturque nouas vires, diuinitus auctas,

Ingenio Boehm̄i Lipsia digna sui.

Per noua templa, Salus, sanctis v̄brata tenebris,

Per dulcem strepitum desilientis aquae;

Perque Augustorum blandos castosque Hymenaeos,

Pectora diuina confociata manu;

Per

Per Clivus Eratusque Iyram, per Apollinis aras,  
 Saturnique patris fana vetusta precor;  
 Canitiem capiti instantem tardare memento,  
 Quod lambit Clavio laurea digna Deo.  
 Redde mihi vatem, patriaeque vrbique, potentem  
 Laude et conspicua nobilitate virum;  
 Vxori lacrimas, lacrimas pietatis et almae  
 Laetitiae, quales illacrimavit Amor,  
 Vt Stygiae coniux Admeti erepta paludi,  
 Ceruici affiliens oscula blanda dedit.  
 Iam sequor in silvas reducem villamque Sabinam \*,  
 Hospitium ingenio quod fabricavit Amor:  
 Aemula Cumani circumdat porticus arui,  
 Ornabitque tuus, Lipsia, Parrhasius \*\*.  
 Me sequitur pia turba comes, iuuenumque corona,  
 Exemplo, ingenio, pectore culta viri.

Diuitias

\* Villa significatur Golsiana, inter amicos sermone saepe vsur-  
 qua nitida magis, quam suntuo- pet, et parieti inscriptum habeat  
 fa, Boehmius sic laetatur, vt et illud Horatii, (Carm. II. 18)

— Nihil supra Deos laceſſo,  
 Satis beatus vicinis Sabinis.

\*\* Adam. Frid. Oeserus, qui tectoria picturis ornauit ea et  
 Academiae apud nos Pictoriae scientia et elegantia, vt artifex  
 magisterium, ampla cum laude, se ipse superasse videatur.  
 gerit. Is igitur oeci superioris



Diuitias alius rutilanti congerat auro

Improbus, ac latebris Dalmatâ vina tegat:

Boehmius ingenio pollens, patiensque laborum,

Diues agri et numûm, rex tamen ipse fui.

Dextera venturos olim tibi computet annos:

Nam pius in patriam ciuis et almus erat.

M. AVG. A. R. S. CIDIDCCLXXVII

BOEH

CARMINA  
BOEHMIO  
REIZIVS S. D

---

**F**rigoris modici benigna vis est  
In corpus: medici fatentur ipsi.  
Quare quum sit hiems modesta, qualem  
Vix annis memini fuisse multis:  
Eia, ne dubites, Amice Boehmi,  
Per niuem ire traha et redire vectus.

Optat et rogat hoc amata coniux:  
Ipsae quin etiam volunt Camenae,  
Omnia vt facias, quibus vigorem  
Vel augere animique corporisque,  
Vel feruare queas: vt alma per te  
Mater Lipsia Teutonisque tellus  
Diu splendeat, et magis nitescat  
Verae laudibus eruditionis.

FRID. ID. IAN. CIOIOCCCLXXVIII

---

BOEH



## BOEHMIO

AMICO VETERI

CAR. ANDR. BELIVS

ACAD. LIPS. H. T. RECT

Missa ad me sunt hesternò die Carmina Latina, quae quum viderem tua esse, et amicorum ad te, puduit me, legi semel duntaxat inter hos nomen meum. Patere igitur, Boehmi, vt claudam agmen istorum, meique memoriam etiam tuis Carminibus feruari optem. Arripui calamum, quum tuos tuorumque versiculos legerem, atque sine mora, quod hic leges, carmen scripsi, quod tu aequi bonique consules. Vale, et me ama! E museo, d. VII Maii, A. R. S. MDCCCLXXX.

**H**aec ego dum, Boehmi, perlustro, carmina, Censor,

(O vtinam semper talia scripta legam!)

Dumque fluunt suaues oculis spectantibus horae,

Inter amicorum nomina quaero meum.

Iamque pudor subiit: Nil tu nunc scribis amico?

Nam recipit carmen pagina casta tuum.

Quid

Quid faciam? Modulerne canoros inter olores?

Dum dubito versum dicere, versus erat.

Te tua ferta manent, numquam periture Poeta,  
Nobilis ingenio, nobilis historia.

Tu Veterum, tua mox iuvenes vestigia laeti,  
Si quos extollit vena secunda, prement.

Talibus auspiciis subscribat virgula: *Vidi*

*Belius*: et veniant haec mihi saepe, precor.

---



M V S A E  
 A D  
 B O E H M I V M S V V M

---

Sic igitur tenues fuimus tua cura Camenae?

Ergo decaluit pectore priscus amor?

Et, si deserimur, nec quidquam tale merentes,

Infidum, Boehmi, dicimur esse genus?

Sic, nos Castaliis puerum fouisse sub vmbris,

Excidit, et dulces condocuisse modos?

Nec tibi Pieridum meministi munere quondam

Candidulos iuueni currere saepe dies?

Nec tibi nos, quamuis nostri sis transfuga coetus,

Semper adhuc precibus cernis adesse tuis?

At tua quo pietas abiit? quo pristinus ardor?

At tua quo fugit, quae fuit ante, fides?

Scilicet est aliquid, veteres euoluere fastos;

Vltima quos tulerint tempora, nosse viros.

Est aliquid, causas bellorum et foedera nosse,

Regnaque quo steterint corruerintque modo:

N

Nomi-

Nominaque heroum venturis tradere fecis,  
 Et, qui sint digni laude, vetare mori.  
 Ille tibi si tantus amor, si tanta cupido est;  
 Si fuit illa tuae maxima causa fugae:  
 Quid tibi nobiscum iam nil cupis amplius esse?  
 Perge viam, faciles in tua vota sumus.  
 Innocuosque iocos, et amoeni gaudia ruris  
 Ludimus, et pueri, si sapit, arma Dei;  
 At fructas acies, fortesque heroas eadem  
 Nos, vrget rapidus commemorare calor.  
 Bucolicis idem modulis Amaryllidis ignes,  
 Hic idem cecinit bella virumque Maro.  
 Dulce sibi Lalagen ridentem, dulce loquentem,  
 Et Flaccus fumsit concelebrare Deos.  
 Perge igitur, deprome lyram, vestigia vatun,  
 Flacci siue sequi, siue Maronis amas:  
 Praesentes aderunt, Phoebo cum praeside, Musae,  
 Atque aequare dabunt posse canendo tubas.  
 Iam tellus Germana suo se iactat alumno,  
 Indignans citharam conticuisse tuam.  
 Et meminit te Porta suis incedere lucis,  
 Quos (nec vana fides) nos habitare ferunt.

Inge-



Ingenium mirata tuum cultamque Camenam,  
 Carmina te meminit pangere prima tibi.  
 Iam dolet, atque fidem dictis adhibere recusat,  
 Te velle Aonios dedidicisse modos.  
 Sic redeas! Iam nostra patent tibi templa nemusque,  
 In quo dulce tibi plectra mouere fuit.  
 Iam desertori legimus noua,serta poetae,  
 Inque tuum laurus floret adulta decus.

*Non animi me tanta tenet fiducia, Boehmi,  
 Vt repetam, Musae quae cecinere tibi.  
 Non tanti Musis ego sum. Tibi donat Apollo,  
 Non mihi, Pierio digna referre choro.  
 O quoties dixi, cithara gaudere sonora  
 Fas sit, Phoebæ, mihi, carminibusque frui!  
 Mitis ades placidusque mihi, nec sperne precantem!  
 Sic pia, dum viuam, thura cremabo tibi.  
 Sed venti rapuere preces. Nil suauius umquam  
 Sensi rauicrepas me tetigisse fides.*

*At tu si facilem, Boehmi, mihi porrigis aurem; multatq[ue]*

*Si das versiculis, quod petiere, meis:*


*Tunc mihi, tunc tandem placari posse Camenas,*

*Aut hoc, aut nullo munere posse, reor.*

---

B. C. AVENARIUS.









OL 1593

ULB Halle

3

004 350 588



*M. 1593*















10. GOTLOB BOEHMII

INTER ARCADES

CRISENII BEROENSIS

CARMINA LATINA

VEL REPETITA

VEL PRIMVM EDITA

ADIECTA SVNT

AMICORVM AD EVM  
CARMINA

LIPSIÆ

APVD IO. FRID. GLEDITSCHIVM

C1010CCLXXX

